




**De personali unione duarum naturarum in Christo, et ascensu  
Christi in coelum, ac sessione ejus ad dextram Dei Patris. :  
qua vera corporis et sanguinis Christi praesentia in Cœna  
explicata est, & confirmata.**

<https://hdl.handle.net/1874/423834>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:


<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. qu.


268



13

12





四〇九

## Theologia

Quarto. n° 263.

het 5<sup>e</sup> stuk kleinen oltar  
d<sup>e</sup>s zelvjaam

N. S. B.

n. 239.

16

E. gal. 268

# DE PERSONALI VNIONE DVARVM NA- TURARVM IN CHRISTO, ET AS- CENSV CHRISTI IN COELVM, AC SESSIONE EIVS AD DEXTRAM DEI PATRIS.

QVA VERA CORPORIS  
ET SANGVINIS CHRISTI PRAE-  
sentia in Cœna explicata est,  
& confirmata.

Autore  
**JOANNE BRENTIO.**



Ex Donatione Hub. à Brueckel.

TUBINGAE APVD VIDVAM  
VLRICI MORHARDI,  
ANNO M. D. LXI.



ДЕЯНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛ

И ПОСЛАНИЯ К РИМЛЯНОМ

И ДРУГИЕ ПОСЛАНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛ

И ПОСЛАНИЯ К ГАЛЕАДЦАМ

И ДРУГИЕ ПОСЛАНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛ

И ПОСЛАНИЯ К РИМЛЯНОМ

И ДРУГИЕ ПОСЛАНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛ

И ПОСЛАНИЯ К РИМЛЯНОМ

И ДРУГИЕ ПОСЛАНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛ

И ПОСЛАНИЯ К РИМЛЯНОМ

И ДРУГИЕ ПОСЛАНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛ

И ПОСЛАНИЯ К РИМЛЯНОМ

И ДРУГИЕ ПОСЛАНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛ

И ПОСЛАНИЯ К РИМЛЯНОМ

И ДРУГИЕ ПОСЛАНИЯ

# PIO LECTORI

IOANNES BRENT

TIVS S. D.



N A P O L O G I A , Q V A S V S C E P I  
Confessionem Illustrissimi Principi=  
pis ac Domini, D. Christophori du-  
cis Vvitenbergensis & Theccen-  
sis, & Comitis Montbelgardn. &c.  
Domini mei clementissimi defendendam, scri-  
psi de Eucharistia, in explicanda consecratione  
eius, quod vbi cunq; est filius Dei, verus & æ-  
ternus Deus, ibi sit etiam filius hominis, in vni-  
tatem personæ à Deo assumptus. Hoc dictum  
à non nullis sic exceptum est, perinde ac si doce-  
rem: Corpus Christi, corporali & crasso modo  
in omnia loca diffundi & extendi. Visum est  
igitur amicis, vt hoc paulo copiosius à me ex-  
plicetur. Evidet videbar graues habere cau-  
fas, cur hunc qualem cunq; laborem recusarem,  
quod nihil tam pie, tam circumspetè dici que-  
at, quod Sycophantæ in calumniam rapere nō  
vereantur: & extent alia scripta, in quibus per-  
sonalis illa, quam hypostaticam vocant, & mi-  
randa vno Deitatis & humanitatis in Christo,  
ac sessio Christi ad dexteram Dei patris, tam lu-  
culenter explicata & illustrata sunt, vt cui ea nō  
satisficerint, haud scio, num tāquam αὐτοκατάκριτος

A n sit

P R A E F A T I O.

si relinquendus. Sed illi ita instare & vrgere perrexerunt, vt maluerim de sententia & autoritate eorum aliquid pro mea tenuitate scribere, quām fastidiosè resistere. Itaq; suscepi capita illa de inseparabili & indiuisa Unitatis & humanitatis vnione in Christo, de ascensu Christi in cœlum , & de sessione eius ad dexteram Dei patris, breuiter , & quoad eius fieri potest, perspicuè explicanda; vt ecclesiæ filij Dei rationem redderem, me nec excogitasse , nec sequi nouum dogma : & exponerem causas, cur doctrina de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna eius, constanter asserenda sit, & perpetuò retinenda.

Ac miranda sanè res est, quod qui maxime omnium spirituales videri volunt, non possint , in tanto hypostaticæ vnionis & cœnæ Dominicæ mysterio, carnales suas de geometricis dimensionibus cogitationes , excutere. Finixerunt nouum & prodigiosum Vbiquitatis vocabulum, vt eō facilius rudibus & rerum nescijs imponat , ac persuadeant, nos etiam nouum & prodigiosum dogma excogitasse , & corpus Christi, tanquam alutam , in omnia loca geometricè extendere & diffundere . Ac si quidem inimici nostri maledicerent nobis , vt verbis Psalmi utar , sustinuissimus utiq; : & si hi, qui oderunt nos, locuti fuissent de nobis absurdæ,

P R A E F A T I O.

Surda, abscondissemus nos forsitan ab eis. Nunc autem illud grauissimum est, quod quos sperauimus in repellendo communī hoste socios & adiutores, eos deprehendamus odiosius & virulentius in nos grassari, quam vniquam ferē in hostes saeuierunt.

In explicanda ratione cœli, in quo Christus filius Dei sedet ad dextram patris sui, videntur maiestatem Christi in tam arctum concludere, ut in extero tantum cœlo hæreat, & non potius verè in cœlo ipso sit, cum est in cœna, aut etiam vbi cunq[ue] fuerit Deitas eius. Videntur etiā non posse altius mente sua assurgere, quam ad Aristotelica Axiomata:

ἀπαρ σῶμα τὸ πόπι.

Omne corpus est in loco. Et:

ἐνδέπι ὅλως σῶμα ἕγω τὸν ὄφελον.

Nullum est omnino corpus extra cœlum.

His & alijs id genus Physicis axiomatis instructus & inebriatus, quomodo potest sibi vere persuadere, quod filius Dei hominem, qui ex anima rationali & corpore constat, in indissolubilem, & perpetuō inseparabilem personę unitatem, sibi assum pserit atq[ue] vniuerit. Volui igitur de hac re in Ecclesia filij Dei, meam sententiam dicere, aut potius antè quidem dictam, à nonnullis autem temere computam, copiosius explicare; idq[ue] testimonij, non humana ra-

A iii tione

P R A E F A T I O.

tione confictis, sed diuinitus traditis, quibus se quoq; multi, et magnæ & paruæ in Ecclesia au-  
toritatis, monumentis literarum suarum adscri-  
bunt. Nec dubito, quin si quis non cœcatus  
partium studio, sed præditus vera pietate, dili-  
genter ea expenderit, intelligat nos nihil pror-  
sus noui docere, sed tantum ea, quæ vniuersa  
Ecclesia hactenus in symbolo religionis suæ re-  
citat, Verbum caro factum est; Ascendit in cœ-  
lum, adeoq; supra omnes cœlos, & sedet ad  
dextram Dei patris, iuxta veram Spiritus  
sancti sententiam perspicue pro vi-  
xili nostra euoluere & ex-  
plicare. Bene ac fœ-  
liciter vale.



N DISPUTATIONE DE PRAESEN-  
tia corporis & sanguinis Christi in coena  
eius, conuenit inter partes  $\pi\cdot\pi\cdot\pi$   $\pi\cdot\pi\cdot\pi$  de  
veritate horum verborum Christi, Hoc  
est corpus meum &c. Et, Hic est sanguis  
meus. Fatalem vtrinque hæc verba Christi esse veris-  
sima, et ea esse in coena ad sanctificationem panis ac ui-  
ni in dispensationem corporis & sanguinis Christi, &  
in adnunciationem mortis eius recitanda, ut per fidem  
fiamus participes omnium beneficiorum, quæ filius  
Dei nobis à patre suo per mortem & sanguinem suum  
impetravit. Non autem conuenit inter partes  $\pi\cdot\pi\cdot\pi$   $\pi\cdot\pi\cdot\pi$   
~~πανοιας~~, hoc est, de sententia horum verborum. Nos  
enim seruamus  $\pi\cdot\pi\cdot\pi$  (quod literam vocant) verbo-  
rum Christi: & credimus, quod cum Christus his suis  
verbis porrexit discipulis panem & vinum, porrexe-  
rit etiam eis verum corpus suum edendum, & verum  
sanguinem eis bibendum, non tantum cogitatione ani-  
mi, aut efficacia, sed etiam verè realiter, ac substantialis-  
ter, et si nec transubstantialiter (ut Papistæ somniant)  
nec localiter (sicut nonnulli nos sentire calumniantur)  
præsentia. Alij autem sentiunt, corpus & sanguinem  
Christi accipi quidem in coena, sub figura et per fidem,  
ipsa vero non esse in coena realiter & substantialiter  
præsentia, sed esse tantum his temporibus in cœlo. Et  
explicant hanc suam sententiam exemplo Solis, ac ra-  
diorum eius; quod quemadmodum Sol mole corporis  
sui est in cœlo, radijs autem in terra, ita existimant hu-  
manitatem Christi tantum esse in cœlo, Deitatem au-  
tem eius vbiq; adeoq; in coena etiam, sed absq; huma-  
nitatem, præsentem esse. Ac multa colligunt argu-  
menta, quibus conantur suam sententiam probare, no-  
stram autem refutare.

I. Dicunt,

JOANNES BRENTIUS

1. Dicunt, quod nostra sententia pugnet cum natura humani corporis, quippe quod non possit simul esse in cœlo & in cœna, ac in tot locis, in quibus cœna DOMINI celebratur. Quod & vetus Tragoœdia dicit Τὸν οὐρανὸν τὴν πολιτείαν, πόλιν δὲ τὸν. Nomen potest esse in multis locis, non autem corpus. Itaque non verentur factare, nos facere Christum πολυσάμιλον, πολύπονον, καὶ παντόπονον, hoc est, multicorporeum, multilocum, & omnilocum. Vocant nos Capernaitas, σαρκοφάγους, hoc est, Carniuoras, Sanguisugas, Thyestas, Pantachusistas, Pantatopistas, Vbiquistas, Omnilocalistas, cultores pisti & impanati Dei, ac multa id genus alia horribilia conuicia in nos proiecunt.

2. Dicunt, quod nostra sententia pugnet cum articulis fidei, Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei patris. Et hoc cumulant omnia dicta scripturæ, ac veterum Patrum, que testantur Christū esse in cœlo. &c.  
3. Dicunt, quod fieri non possit, ut indignus manus ducet corpus Christi. &c.

Sunt & multa alia, quæ colligunt in sententiæ suæ patrocinium. Nos autem de his tantum, quæ enumerauimus, in præsentia tractabimus, quod & in his ( ut mihi quidem videtur ) tota controuersia præcipue sita sit, & his explicatis, alia facile diluantur: & quædam hactenus ita sint euoluta & illustrata, ut ne aduersarij quidem ipsi multum amplius præsidij in eis collocent, cuius generis sunt. Caro nihil prodest. Surrexit non est hic. Ioannes est Elias, & multa alia.

Nos quidem ab initio contentieramus simplici versorum Christi interpretatione, & voluntatis ac omnipotentiæ Dei agnitione. Sed quid faciamus? Aduersarij pertraxerunt nos in has disputationes, et hactenus nos in ijs detinent. Necessarium igitur est, ut Ecclesia filij Dei recte & piè de his erudiatur.

Principio

**P**rincipio, dicunt, Christum assumpsisse tale corpus humanum, quale nostrum est (solo peccato excepto). Cum autem haec sit nostri corporis natura, quod sit in uno tantum loco, nec possit simul in pluribus locis esse, necessariò sequi videtur, quod & corpus Christi sit in uno tantum loco, nec possit esse simul in pluribus locis, in quibus coena eius celebratur. Adiungit & illud. In Christo esse quidem unionem duarum naturarum, diuinæ videlicet, & humanæ, ut seruare suas proprietates: & iuxta Augustinum, diuinitatem Christi ita astruendam, ut veritatem corporis non auferamus.

Ad haec paucissimis quidem & verissime responderi potest, quod etsi corpus humanum non potest esse simul in pluribus locis, sua ipsius natura & potentia, potest tamen id natura & potentia Dei. Quis enim presentiæ Dei modum prescribet? Quis virtuti eius terminum ponet? Et quod, quemadmodum Christus in hoc seculo passus quidem est carne crucem & mortem, non autem necessitate sed voluntate; ita in hoc mundo sicut iuxta carnem in uno loco, non cogente necessitate, sed spontanea voluntate. Accedit & illud, quod ne pistæ quidem ipsi unquam, quod ego sciam, docuerint, Corpus Christi esse in pane coenæ localiter, & circumscriptive. Ac nostri saepe & multum disertis verbis testificati sunt, se nullo modo tribuere presentiæ corporis Christi in parte spaciū locale. In iustè igitur accusamur, quod in dispensanda coena dominica, veldes trahamus corpus Christi de cœlo, & includamus ipsum in panem localiter, vel faciamus Christum πολυπόνητον, (hoc est) multicorporeum, & multilocalem.

Sed, quia obijciunt nobis diversitatem duarum na-

B turarum

IOANNES BRENTIUS

turarum in Christo, quam certe nos quoq; indubitanter credimus, fatemur & tuemur, altius erit repetendum, & diligentius expendendum.

Manifestum ac verissimum est, quod Deus miseric filium suum in hunc mundum, ad redimendum huma-  
num genus è tyrannide Satanè. Hoc & Prophetæ con-  
**Lxx. 1.** cionati sunt, & explicuerunt Apostoli. Ecce (inquit Angelus ad Mariam) concipies in vtero, & paries fi-  
lium, & vocabis nomen eius Iesum, Hic erit magnus,  
**Ioan. 1.** & filius altissimi vocabitur &c. Et alias. Verbum caro  
**Ioan. 3.** factum est. Ac iterum. Sic Deus dilexit mundum, vt  
filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in  
**Rom. 1.** eum non pereat &c. Et apud Paulum: Segregatus in Euangelion Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis D E FILIO S V O, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui definitus est filius Dei, in virtute secundum spiritum san-  
**Gal. 4.** ctificationis. Et rursus: Vbi venit plenitudo temporeis, misit Deus filium suum factum ex muliere &c.

Hanc missionem filij Dei in carnem humanam vocauerunt maiores nostri, incarnationem: & interpretati sunt, quod Deitas & humanitas sint quidem diuersissimæ naturæ seu substantiæ (altera enim est ab æterno, & rerum omnium creatrix, altera autem creata: & altera est spiritus, altera autem corporea) nec altera sit in alteram vel conuersa vel mutata, sed in Christo ita sint coniunctæ, aut potius vnitæ, vt prorsus vnam cōstituant personam, in æternum nunquam separandam. Itaq; missio filij Dei in hunc mundum, ita intelligenda est, vt cum in vna æterna & simplicissima Diuinitate sint tres distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, assumperit humanam naturam seu substaniam (corpus videlicet humanum, & animam rationalem)

## DE COENA DOMINI.

9

Iem) non prima persona, quæ est pater, non tertia, quæ est Spiritus sanctus, sed tantum secunda, quæ est filius, & eam substantiam ita sibi vniuerit, vt non fiant duæ diuersæ personæ, sed maneat tantum vna persona. Et quanquam diuina substantia non mutetur in humana, & unaquæcū suas habeat proprietates, tamen hæ duæ substantiae ita sunt in vnam personam in Christo coniunctæ, vt altera ab altera recipiat nunquam diuidatur. De qua re audienda est sententia maiorum nostrorum.

*Concilium Ephesinum, ex Cyrius.*

Si quis in uno Christo diuidit subsistentias post unitatem, sola eas copulatione connectens, que secundum meritum vel autoritatem vel potestatem est, & non potius conuentu, secundum unitatem naturalem, anathema sit.

*Concilium Chalcedonense, circiter annum*

*Christi. 450.*

Confitemur D O M I N V M nostrum Iesum Christum ante secula quidem, de patre genitum, secundum Deitatem; in nouissimis autem diebus eundem propter salutem nostram ex Maria virginē deo loco, secundum humanitatem, vnum eundem Christum filium dominum unigenitum, in duabus naturis, inconfusè, immutabiliter, INDIVISE, INSEPARABILITER agnoscendum, nusquam sublata essentia naturarum propter unionem, magisq; salua proprietate utriuscū naturæ & in V N A M P E R S O N A M atq; existentiam concurrente, non in duas personas partitum atq; diuisum, necq; disiunctum, sed vnum, eundemq; filium unigenitum.

Quid pluribus opus? Apud Athanasium & alios

B 2 veteres

IOANNES BRENTIUS.

veteres extat manifestè hæc similitudo. Sicut caro & anima rationalis unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Quia similitudine significatur, quod quemadmodum in homine, quamdiu existit & manet homo, caro & anima separari non possunt, ita in Christo Deus & homo non queant ab inuicem diuelli.

Et Leo in epistola 81. Vnus est DOMINVS Iesus Christus, & verae Deitatis veræque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona, neque huius Unionis soliditas VLLA potest DIVISIONE sciungi &c.

Et iterum. Nec interest, ex qua Christus substantia nominetur, cum INSEPARABILITER manente unitate personæ idem sit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter unam cum patre Deitatem &c.

Et paulo ante. Quamuis ab illo initio, quo in utero virginis verbum caro factum est, nihil unquam inter diuinam, humanamque substantiam divisionis extiterit, & per omnia incrementa corporea unius personæ fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus &c.

Possem multa alia veterum testimonia recitare, quibus probatur, quod diuina & humana natura seu substantia sint in Christo in unam personam ita copulatae, ut nulla creatura, imo ne mors quidem potuerit eas a se inuicem diuidere ac separare. Sed quia existimo nullos esse hisce temporibus, qui fateantur se duas in Christo naturas diuellere, non ero in recitandis Patrum testimonij longior.

Quid ergo hinc sequitur? quid dicemus? An non perspicuum est, quod cum Deitas & humanitas in una persona

persona Christi inseparabiliter, & indiuulse coniuncta  
guntur, necessarium sit, ut ubicunq; est Deitas, ibi etiam sit  
humanitas Christi? Certe nisi haec duæ naturæ sic  
semper unitæ in Christo maneat, vt altera nusquam  
sit sine altera, fieri non potest, ut Christus vna maneat  
persona. Si enim Deitas Christi alicubi est sine huma-  
nitate eius, duæ erunt personæ, non vna. Quid igitur Gabri. in 3. librum  
est, quod nonnulli dicunt, personam Christi non habere sententia dist. 22. dicitur  
re ubiq; sibi humanitatem unitam: Hoc quidem for-  
titer affirmant, sed quibus rationibus? & quomodo  
conueniet cum eo, quod vniuersa semper Ecclesia sen-  
sit, duas naturas in vna persona Christi ita coniunctas,  
vt re ipsa ab inuicem separari non queant, ac si mul-  
tum solo intellectu separentur? Non est nobis in præ-  
sentia sermo de operatione, sed de Vnione naturarum  
in persona Christi. Scimus personam Christi aliud ex  
diuina, aliud ex humana natura operari, nihilominus  
tamen haec duæ naturæ, quantumcunq; diuersas habe-  
ant proprietates & operationes, perpetuò sunt in vna  
Christi persona ita coniunctæ & unitæ, vt nunquam  
separari queant. Non pigebit hoc loco recitare testi-  
monium Gelasij in libro de duabus naturis in Christo,  
aduersus Eutichen & Nestorium. Quamuis ( inquit  
Gelasius ) unus atq; idem sit dominus Iesus Christus,  
& totus Deus homo, & totus homo Deus, & quicquid  
est humanitatis, Deus homo suum faciat, & quicquid  
est Dei, homo Deus habeat: tamen, vt hoc permaneat  
sacramentum, nec possit ex aliqua parte dissolui, sic to-  
tus homo permanet esse, quod Deus est, vt totus Deus  
permaneat esse, quicquid homo est. Si aliquid, quod  
abstinet, veldiuinitatis vel humanitatis inde decesserit, se-  
quatur ineffabilis resolutio Sacramenti, & quod dictu-  
audituq; fugiendum est, vel homo, Deus esse iam desi-

JOANNES BRENTIUS.

nat, si sola illuc humanitas, non etiam Deitas perseuerat, vel Deus homo consequenter esse desistat, si sola illuc Diuinitas, non etiam humanitas vnta permaneat. Hactenus Gelasius. Dictu (inquit) audituq; fugientium est, si sola illuc Diuinitas, non etiam humanitas vnta permaneat. Quia ergo fronde audent illi dicere, personam Christi non habere ubiq; sibi humanitatem vnitam? Certe Deitas & humanitas Christi, sunt vna & inseparabilis persona, quemadmodum suprà dictum est. Negari autem non potest, quin quæcunq; sunt vnta inseparabiliter, ubiq; vnum est, ibi sit & reliquum, nec sit ullus locus, aut locorum spacium, quod ea possit separare. Sed respondere solent, hoc tum verum esse, cum alterum eorum, quæ sic vniuntur, non excedat alterum, nec sit maioris ambitus, quam reliquum. Quasi vero hic sit dandus locus Geometricis de ampliori excessu, et maiori ambitu, speculationibus, & quasi hanc ineffabilem & inseparabilem vniōnem, cuius nullum aliud extat in vniuersa rerum natura exemplum, dissoluere queant vnius immensitas, & altius dimensitas: ac nō potius nos in summam admirationem adducat: cum per fidem certò sciamus, quod filius Dei assumperit filium hominis in eandem personam, & ornauerit eum omni sua maiestate, atq; euexerit eum ad dextram Dei patris, vt sicut filius Dei fuit ab æterno immensæ potentiaz, ita nunc filius hominis, postquam in unitatem personæ assumptus est, eiusdem sit maiestatis, et corā omnia gubernet. Sed hic vide mihi personæ definitionē. Persona, inquiunt, est rationalis naturæ individua substantia, Si persona est substantia individua, quomodo diuinitas Christi non haberet secum humanitatē, quam in vnitatem personæ assump̄ sit, ubiq; esset unitam? Sciamus igitur quod in Christi

stī persona, non sit consulenda ratio hominis, sed sens  
tentia spiritus sancti: quæ cum testificetur verbum car  
nem factum esse, & duas naturas in Christo hypostas  
ticè & personaliter, ideoq; inseparabiliter unitas, non  
est ei vlo modo repugnandum. Non capit hoc mys  
terium humanus intellectus per suas rationes, capit  
autem fides per spiritum sanctum.

Sed iterum obisciunt, vnum tantum esse infinitum  
& immensum. Si igitur humanitas Christi ibi semper  
esset, vbiq; est Deitas, an non essent duo infinita &  
duo immensa? Sic quidem argutatur humana sa  
pientia. Cui etiam ex Philosophia eius responderi po  
test, quod etiamsi humanitas Christi esset vbiq; in omni  
bus locis, tamen ne sic quidem esset infinita. Nec e  
nim loca, nec mundus ipse, quo omnia loca definitur,  
sunt infinita. Et si propriæ loquendum est de infi  
nitio, liber recitare verba Nazianzeni: οὐδὲ τὸ ἀπόρ  
οποργίνων, καὶ τὸ χρῆμα, τὸ γέροντες τὰ τέλη τὸ μὲν τούτοις,  
τὸν δέ, hoc est. Infinitum consideratur dupliciter, &  
secundum initium, & secundum finem: quicquid es  
tim hic superat, nec in illis continetur, infinitum est.  
Quare etiā humanitas Christi nunc post unionem est,  
vbiq; fuerit Deitas eius, tamen non idcirco caret  
initio, sicut Deitas, ideoq; non est, hac in parte, infinita.  
Sed audiamus quod sapientia verbi Dei docet. Dei  
tas enim & humanitas in Christo non sunt duæ perso  
næ, sed una tantum persona: & non sunt duo Christi,  
sed unus tantum Christus. Vnum ergo tantum infi  
nitum, vnum immensum. Quod si non de personæ vs  
nitate, sed de substantiarum diuersitate loquendum  
est, quid obsecro prohibet, quod minus id quod conve  
nit vni substantiæ per se, hoc conueniat alteri per acci  
dens, ut Dialectici loquuntur? Vetus & verus sermo  
est

IOANNES BRENTIVS

est de Christo, quod, quicquid conuenit filio Dei per naturam, hoc conueniat filio hominis per gratiam. An non solus Deus est infinitæ potentiae, infinitæ sapientiae, infinitæ bonitatis, infinitæ iustitiae? Et tamen, cum verbum caro factum sit, verbum carni ita unitum est, ut in eam effunderet omnem deitatis suæ maiestatem,  
*Col. 1.* sicut paulò ante indicatum est. In ipso, inquit, Paulus,  
*Col. 2.* complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare. Et iterum: In quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi. Ac rursus: In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Quid igitur? Diceamus ne duo esse infinita, potentia, sapientia, bonitate, & iustitia? siquidem sermo est de natura: unum certe tantum est infinitè potens, sapiens, bonum, & iustum, quod est Deus ipse. Si autem sermo est de gratia, profecto fieri non potest, quin filius Dei effundat omnem suam maiestatem in filium illum hominis, quem in unitatem personæ unitione hypostatica ex impenetrabili suo consilio, et gratuita clementia assumpsit, ut quod ille est per se, & natura, hoc iste sit per accidens (hoc est) alieno beneficio & gratia, propter hypostaticam unitonem. Paulus de maiestate Christi scribens. Deus, inquit, constituit illum ad dextram suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & O M N E N O M E N, quod nominatur, non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro. Hoc certe est filium hominis euere in infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, & iustitiam. Quod si filius hominis factus est in his rebus suo modo infinitus, & immensus, quomodo filius Dei non euexisset etiam eum ad illam infinitatem, qua omnia tam supera quam infera cœlesti modo repletus?

At

Athoc, inquieris, pugnat cum natura humani corporis. Et Augustinus ait. Tolle spacia locorum corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, non erunt. Non ignoror, hæc, quæ de maiestate Christi, ad quam electus est filius hominis, à filio Dei dicuntur, videri humanæ rationi absurdissima, ac planè impossibilia. Sed hypostatica diuersissimarum naturarum vno, in persona Christi traditur in sacra scriptura, per Spiritum sanctum nobis agnoscenda & credenda: & quanquam hæc vno est absurditas absurditatum, tamen humanus intellectus necesse habet ei cedere, & se in obsequium verbi Dei captiuum reddere. Quare non est mirandum, quod ex vna illa, & maxima absurditate, multæ aliae sequantur iuxta humanum intellectum absurditates. Εντοποιούσθε ταῦτα οὐδὲντες hoc est, uno absurdo conceitto sequuntur infinita. Re-

Ctè hac in parte Augustinus monet. Credamus hoc, in: August. to. 10. ser. quiens, frates, Etsi argumenta Philosophorum difficile 147. soluimus, illud quod demonstratum est in domino sine difficultate teneamus. Illi garriant, nos credamus. Et Augu. de ciuit. Dei,

alas: Impias (inquit) argumentationes, si ratio refutare li. 12. cap. 17.

non posset, fides irridere deberet. Sinamus igitur & nos Philosophos garrisce, & rideamus physicas & geometricas ipsorum argumentationes, quas ad refutandum & dissoluendum summum illud mysterium hypostaticæ duarum naturarum vniuersis in Christo, recitare solent. Et tamen ne videamur temerè ridere, et nobiscum, hoc est, cum nostra professione pugnare, explicabimus nostram, quod ad eius fieri potest, sententiam. Nam, cum obijciunt nobis diuersitatem naturarum in Christo, & quod nec diuina natura mutetur in humnam, nec humana in diuinam, similiter quod vnaqueç natura in Christo retineat suas proprietates, videntur

C illi

IOANNES BRENTIUS

illi nos ex nostra Theologia , non ex sua Philosophia  
oppugnare : sed res longe aliter se habet , de quo nobis  
aliquid in præsentia dicendum est.

Primum enim , cum dicitur , diuinam naturam in  
Christo non mutari in humanam , nec humanam in di-  
uinam , vocabulum naturæ recte intelligendum est .  
Aliquoties enim hoc nomine significatur ipsa rei sub-  
stantia . Aliquoties rei proprietates & accidentia . Cum  
ergo dicitur , quod in una persona Christi sint duas di-  
uersæ naturæ , quarum altera non mutatur in alteram ,  
& quæ non sunt confundendæ , nec inter se commiscen-  
dæ , nomen N A T V R Æ intelligendum est de ipsa  
rei substantia . Ut in persona Christi est substantia di-  
uina , quæ est spiritus increatus , & ab æterno ; Est &  
substantia humana , quæ est corporea , & non fuit ab æ-  
terno , sed est creata . In hypostatica igitur vniione Chris-  
ti , nec Deitas , quæ est spiritus increatus , ab æterno ,  
mutatur vñquam in humanitatem , quæ est substantia  
corporea & creata , nec humanitas mutatur vñquam  
in Deitatem : sed vnaquæcūp substantia manet in per-  
sona Christi inviolata , & immutata . Si autem nomen  
N A T V R Æ intelligitur pro rei proprietatibus seu  
accidentibus , obscurum non est , quod Deitas sit res  
simplicissima , nec nullum in eam accidens cadat : ideoq;  
sit immutabilis & impassibilis , humanitas autem sit  
res composita , & varijs accidentibus obnoxia , quæ &  
substantiam rei non mutant , & præter subiecti , vt Di-  
lectici loquuntur , corruptionem adesse possunt & ab-  
esse . Quare , et si humana substantia obnoxia est pa-  
ssioni & morti , tamen hæc proprietas , non sic inhæret  
homini , vt ea mutata , mutetur & hominis substantia:  
sed potest & adesse ( est enim & Christus carne sua pa-  
sus et mortuus sunt & reliqui homines passioni & mor-  
tibus

niobnoxij) et abesse (nam et Christus in resurrectione sua evasit passionem & mortem : & reliqui omnes homines sicut tandem impassibiles & immorales) Nisi hilominus tamen, ut Christus post resurrectionem ita & reliqui homines in sua resurrectione retinent veram & perfectam humanam substantiam. Quod si haec proprietatum seu accidentium mutatio, non mutat rei substantiam, quomodo non posset etiam immutata manere substantia corporis, etiam si alicubi non esset localiter in loco, cum in loco esse non sit corporis substantia, sed tantum proprietas substantiae accidentia? Quod si dixeris, esse in loco, tam proprium esse corpori, ut ab ipso separari non queat : fingamus item hoc suo modo verum esse, non tamen negari potest, quin quod est naturae impossibile, hoc sit diuinæ potentiae & industria?, non possibile tantum, verum etiam facile. Et quid? An non cœlum maximum omnium corporum, et si continet intra se omnia loca, tamen ipsum in nullo est loco, quandoquidem Aristoteles ipse definiat, οὐδὲ τόπος, οὐδὲ κύριον, οὐδὲ χρόνον οὐδὲ δύναμην, quod neque sit locus, neque vacuum, neque tempus extra cœlum?

Deinde, cum tribuitur Christo humanum corpus, non est simpliciter considerandum, quæ sint proprietates, quæ accidentia humani corporis per se, in hoc mundo, & pro conditione huius mundi: sicut enim manifestum est, quod corpus sit in loco localiter & circumscriptive, id quod res ipsa testificatur: sed maximè omnium considerandum est, quod corpus illud Christi unitum sit cum filio Dei, unitio hypostatica seu personali, ac inseparabili, ut ubique est filius Dei, ibi sit etiam corpus eius, nisi alicubi esset Deitas Christi, ubi non esset humanitas eius, unitas personæ

IOANNES BRENTIVS

discerpatur. Itaq; et si humanam naturam extra Christum, & iuxta Physicas rationes, in uno tantum loco, esse oportet, sicut Augustinus dicit, & Christus suscepit tempore Ministerij & conuersationis suæ in hoc mundo humanas (præter peccatum) imbecillitates, ac fuit corpore suo, pro conditione huius mundi, in loco circumscriptiuè: tamen interea hypostatica vno non fuit dissoluta, vt vbi cunctæ fuit Deitas Christi, ibi non secum habuerit etiam humanitatem suam, idq; non localiter, sed, vt ex illo Prophetæ dicto, (Ego cœlum & terram repleo) veteres locuti sunt, repletuè. Quam igitur gloriam corpus Christi, vel habuit in hoc seculo, vel iam habet in altero seculo, non habet ex natura humanitatis per se, sed ex natura Deitatis, cum qua corpus Christi hypostatica seu personali vniōne inseparabiliter est vnitum. Præterea cum humanitatem Christi Deitati eius ita coniungimus, seu vnimus, vt vbi cunctæ est Deitas, ibi secum habeat humanitatem, non tribuimus Christo multa & varia corpora, nec tribuimus corpori eius localem extensionem, aut diffusione, sed evehimus ipsum ultra hunc corporalem mundum, extra omnem creaturam, & locum, & collocamus, iuxta conditionem hypostaticæ vniōnis, in cœlesti maiestate: quam et si tempore carnis suæ in hoc seculo dissimulauit, seu ea se se, vt Paulus loquitur, existaniuit, tamen nunquam ea caruit. Potestatem (inquit Cyrilus) quam post resurrectionem dicit sibi datam, ante resurrectionem quoq; habebat. Itaq; non habuit vel duo vel tria, vel quatuor vel plura corpora, aliud quidem in Hierusalem, cum in templo concionaretur, aut in cruce penderet, aliud in vrbe Roma, aliud Athenis, aliud in cœlo: sed unum idemq; corpus, quod erat in Hierusalem visibiliter, & localiter, erat cum Deitate,

te, vbi cunctæ ea esset, extra omnia loca, inuisibiliter, & illocaliter. Neque enim ea loca, quæ sunt in nostris humanis oculis diuersa, & à se inuicem distantia, sunt tot, tanta & talia in oculis diuinæ maiestatis: sed sicut omnia tempora sunt ei momentum, ita & omnia loca, sunt ei unus locus, immo ne punctus quidem loci, aut si quid minutius dici potest. Quare cum coniungimus Deitatem Christi humanitatem eius, non extendimus, nec diffundimus corpus eius corporali & locali modo, sed trahimus ei illam maiestatem, quam quidem humana ratio comprehendere non potest, sed quæ ipsi propter hypostaticam unionem debetur: & quam non tam miraculis, quam resurrectione à morte, ascensu suo in celum, & sessione sua ad dexteram Dei patris patefecit. Porro ex hac admiranda & ineffabili unione oritur celebris illa in Ecclesiasticis scriptoribus, communicatio idiomatum. Neque enim posset illa esse vera idiomatum communicatio inter diuinam & humanam naturam in Christo, nisi hæ duæ naturæ essent in una persona inseparabiliter unitæ & consociatae. Sed priusquam dicamus de re, dicemus de vocabulis. Cum enim scholæ vocent proprietates alicuius linguae, Græcæ (exempli gratia) aut Germanicæ idiomata, existimant multi, quod cum dicitur, inter diuinam & humanam natum Christi esse communicationem idiomatum, intellegendum sit, esse tantum communicationem proprietatum vocabulorum, & non proprietatem rerum. Ac veteres rectè quidem docuerunt, quantum ego hactenus iudicare possum, de communicatione idiomatum. Scholastici autem & recentiores nonnulli, cum dicunt personam Christi non habere ubique secum unitam humanitatem, videntur affirmare, in Christo esse tantum communicationem verbalem, non realem, ut Christus

C 3 dicatur

JOANNES BRENTIUS.

Dicatur quidem verbis Deus, non autem sit revera Deus, hoc est divinitas & humanitas non sint ubique realiter & personaliter in Christo unita. His fieri tandem Christus homo, non verus Deus, sed tantum nuncupatus, Et patietur pro peccatis nostris Deus Christus, non vere sed tantum sermone. Nos autem intelligimus in hac materia per idiomata, non tantum vocabulorum, sed etiam rerum proprietates: ut cum per communicationem idiomatum de Christo dicimus, Deum esse passum & mortuum, non sit sententia, quod Deus verbum, dicatur tantum sermone vocabuli pati & mori, res autem ipsa nihil prorsus ad Deum pertineat, sed quod Deus, et si natura sua nec patitur, nec moritur, tamen passionem & mortem Christi ita sibi communem faciat, ut propter hypostaticam unionem passionis & mortis personaliter adsit, & non aliter, ut sic dicam, afficiatur, quam si ipse pateretur & moreretur. Itaque  $\delta\lambda\omega\sigma$ , seu Deus verbum, patitur & moritur, ut Cyrillus ait, impassibiliter, & immortaliter, ut non dicatur vano tantum sermone, pati & mori, sed etiam vere & re ipsa patiatur & moriatur, non quidem ex natura Deitatis, sed ex natura humanitatis, cui  $\delta\lambda\omega\sigma$  hypostaticè, personaliter, & inseparabiliter est unitus. Pausio (inquit iterum Cyrillus) dispensationis erat, sua quidem dicente verbo, ea quae sunt propriæ carnis propter inenarrabilem unitatem, manente vero extra passionem, quantum ad ipsius naturam pertineat. Impassibilis enim Deus est: neque id mirum, cum & ipsam animam hominis videamus, si quid corpus passum fuerit, extra passionem quidem manentem, quantum pertineat ad naturam, attamen non extra passionem esse intelligi, eoque proprium sit corpus ipsius, quod patitur. Hactenus Cyrillus. Sic etiam idiomata  $\nu\delta\lambda\omega\sigma$ , scilicet Dei verbi, praedicantur

Cyrillus de incarnatione unigeniti,  
cap. 28.

tur non verbis tantum inanibus, sed etiam verè et re ipsa, de carne Christi. Sola Deitas est viuifica, & tamen etiam caro Christi est viuifica, habetq; vim viuificam, non quidem è sua carnis natura, sed ex natura Deitatis, cui personaliter est vnota. Unde cuncti autem habeant hanc vim, certè habet eam. Sola item Deitas est adoranda. Et tamen etiam caro Christi adoranda est, & deferenda ei merito maiestas adorationis, non quidem si sola, ut humana caro, absq; Deitate consideretur, sed quia est cum Deitate hypostaticè et personaliter, adeoq; inseparabiliter vnota. De qua idiomatum, hoc est, proprietatum communicatione audiamus nonnulla veterum testimonia.

*Basilius in sanctam Nativitatem Christi.*

Quomodo Deitas est in carne? Quemadmodum ignis in ferro, ~~in metallo, in terra, in aqua, in ligno,~~ hoc est, non transitiuè, sed distributiue. Non enim excurrit ignis ad ferrum, sed manens in loco distribuit ipsi propriam facultatem.

*Et mox.*

Quomodo igitur ( inquit ) Deus verbum corporeo debilitate non impletum est? Dicimus, velut necq; ignis ferri proprietates transfumit. Nigrum est ferrum, & frigidum, sed tamen ignitum, ignis formam induit, & ipsum illustratur ac candescit, non nigrefaciens ignem, & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammatum. Sic sane etiam humana domini caro, ipsa particeps facta est Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem.

Hic Basilius non sentit, quòd Deitas in Christo non fecerit sibi propriam imbecillitatem carnis, sed quòd non sit ab imbecillitate carnis mutata. Et tamen sicut in ferro ignito, ignis assumit ferri nigrorem & frigiditatem,

IOANNES BRENTIVS

tatem, non ut ipse fiat niger & frigidus, sed ut nigredinem & frigiditatem ferri absumat, ac ferrum inflammet & illustret: ita Deitas in Christo vnta assumpsit humanitatis eius passionem & mortem, non ut ipsa in se pateretur & moreretur, sed ut passionem & mortem eius absorberet, ac ipsam coelesti maiestate ornaret.

*Cyrillus in Ioannem.*

Non imperite (inquit) omnino viuificam carnem esse negaris. Nam si sola intelligatur, nihil prorsus viuiscare potest, quippe quae viuificantem indigeat. Cum vero incarnationis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & habitantem in carne cognoveritis, quamuis nihil penitus caro per se ipsam possit, viuificam tamen esse factam credetis. Nam quoniam cum viuificantem verbo caro coniuncta est, TOTĀ est effecta viuifica.

*Et mox.*

Quamuis natura carnis, ut caro est, viuiscare nequeat, facit tamen hoc, quia TOTAM verbī operationem suscepit.

*Ac iterum.*

Sī mel, cūm naturaliter dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur, nonne stultum erit, viuificam verbi naturam putare non dedisse homini, in quo habitat, viuiscandi virtutem?

*Idem de incarnatione uerbi Cap. 7.*

Sicut corpus alterius est naturae præter animam, unus tamen ex utroq; homo efficitur & vocatur: ita etiam ex perfecta Dei verbi subsistentia, & ex humanitate perfecta, unus est Christus. Idem in eodem, Deus simul & homo, & sua quidem dicit Deus verbum, ea que sunt carnis propria, quia ipsius est corpus, & non alterius. Communes autem facit tanquam cum sua carne diuinæ

diuinæ suæ majestatis operationes , vt posset etiam vis  
uiscare mortuos , & sanare infirmos.

*Et Cap. 8.*

Cæterum, tanquam in imagine licet in carbone con-  
spicere adunatum quidem humanitati Deum verbum,  
non tamen proiecisse , quod fuerat , transformasse au-  
tem magis assumptam naturam in suam gloriam & o-  
perationem. Quemadmodum enim ignis ligno affi-  
xus & in id penetrans , comprehendit quidem ipsum ,  
& quamvis lignum esse non desinat , vim tamen suam  
speciemque transmittit omnem , secpue confert in lignum ,  
& cum ipso iam quasi vnum aliquid æstimatur. Idem  
intellige & de Christo. Adunatus enim inæstimabili-  
ter humanitati Deus , seruauit quidem ipsam in eo quod  
fuerat , & ipse permanxit quod erat , semel tamen adu-  
niatus , quasi vnum iam cum ipsa putatur , ea quæ sunt il-  
lius , sua faciens , conferens autem ei & ipse naturæ suæ  
operationem. Etsi autem hanc Cyrilli similitudinem  
de carbone , sicut & illam Basilij de ferro ignito , quam  
supra recitauimus , cauillari quispiam , & exagitare po-  
test : ac fortassis accommodatior esset similitudo de ig-  
nito auro , quam de ignito ligno , aut ferro ; tamen non  
est ignotum , quatenus tales similitudines ad explican-  
dam hanc idiomatum communicationem adhibeantur ,  
& quatenus pateant , ac valeant. Necque enim in alium  
vsum à nobis commemorantur , quam ut saltē aliquo  
modo inenarrabilem illam Dei & hominis in persona  
Christi vunionem , ex qua communicatio idiomatum o-  
ritur , demonstremus.

*Et iterum Cyrus, ad Successum.*

Vnde puto beatissimum Paulum dicere: etsi cogno-  
uimus Christum secundum carnem , sed nunc iam non  
D nouimus.

JOANNES BRENTIVS

nouimus. Dei enim, ut dixi, proprium corpus existens  
OMNIA HUMANÀ transcendit.

Et mox.

Ideòq; diuinum quidem dicimus corpus Christi, quia  
corpus Dei est, & ineffabili gloria illustratum, incor-  
ruptibile, & iam sanctum, & viuticum confitemur.

Augustinus de uerbis Apostoli, Serm. 14.

Christus descendit, idemq; filius hominis, qui filius  
Dei, sedet in coelo, qui ambulat in terra. In coelo erat,  
quia ubiq; Christus, idemq; Christus & filius Dei, &  
filius hominis, PROPTER VNITATEM  
PERSONÆ in terra filius Dei, propter eandem  
vnitatem personæ probauimus esse in coelo filium ho-  
minis.

Idem.

Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo  
humanitatem iam adoro, quod à diuinitate suscepta, &  
Deitati vnta est, vt non aliud & aliud, sed vnum eun-  
demq; Deum & hominem filium Dei esse confitear.  
Deniq; si hominem separaueris à Deo, illi nunquam cre-  
do, nec seruo, veluti si quis purpuram vel diadema re-  
gale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare?  
Cum vero ea rex fuerit induitus, periculum mortis ine-  
currit, si ea cum rege adorare quis contempserit; ita in  
Christo domino humanitatem non solam vel nudam,  
sed diuinitati vnitam, scilicet vnum filium, Deum ve-  
rum & hominem verum, si quis adorare contempserit,  
eternaliter morietur &c.

Ex his & alijs id genus testimonij, quorum libri Ec-  
clesiasticorum scriptorum pleni sunt, perspicue cognos-  
citur, quanta sit vno duarum naturarum in Christo,  
Etsi enim naturæ seu substantiæ sunt inter se diversissi-  
mæ, & habent sua quæq; diuersa idiomata seu proprie-  
tates,

cates, tamen & ipsæ substantia tanta vniōne coniunguntur, ut sicut vna & inseparabilis hypostasis, hoc est, suppositum seu persona : & proprietates earum tanta familiaritate substantijs communicantur, ut quæ est vnius naturæ proprietas, eam altera sibi communem faciat, sicut veteres explicuerunt. Expendamus igitur iam, quām maiestas humanitatis Christi pareat. Dicitū est modò, quòd humanitas Christi non solum sit viuisificatrix, verum etiam adoranda, idq; propter hypostaticam unitatem personæ. Non autem minor est maiestas, esse viuisificatricem & adorabilem, quām omnia implere. Quare etsi solius diuinæ naturæ in Christo proprietas est, vbiq; esse & omnia implere, tamen habet hanc proprietatem communem, cum sua humanitate, quam in eandem personam assumpsit. Ac mirandum est, quòd cum non abhorres dicere humanitatem Christi esse verè viuisificatricem, et adorandam, eo quòd sit hypostaticè coniuncta diuinitati, abhorreas tamen dicere humanitatem eius implere omnia, & tamen eadem semper est personæ vnitatis. Non enim illud nunc præcipue agitur, vnde humanitas Christi habeat, sed num habeat maiestatem implendi omnia. Manifestum enim est, quòd sicut sola humanitas non habet vim viuisificandi, nec debet adorari, sed habet eam maiestatis, sed habeat eam maiestatem ex personali cum Deitate vniōne, vt impleat omnia, non ex natura humanitatis, sed ex natura diuinitatis. Itaq; etsi humanitas Christi nō habet hanc maiestatem ex se, & sua natura, habet tamen eam verè propter hypostaticam personæ vnitatem. Et cum caro verbi non adoretur adoratione latræ (vt illi loquuntur) in quantum est caro humana,

D 2 sed

IOANNES BRENTIVS.

Sed in quantum est caro assumpta, cur non eodem modo recte diceretur, corpus Christi non implet omnia, in quantum est corpus humanum, sed in quantum est corpus assumptum? Cum igitur dicimus, humanitatem Christi, ubique unitam esse diuinitati eius, Primum, non extendimus humanitatem Christi locali diffusione, sicut nec diuinitas ipsa localiter est diffusa, quemadmodum supra dictum est: deinde non mutamus humanitatem in diuinitatem: ad hæc, non negamus diuersitatem proprietatum viriusque naturæ, Sed explicamus verbis, quibus possumus, ineffabilem illam unitam unionem, qua Deus & homo in una persona Christi ita coniuncti sunt, ut nullo loci spatio a se inuicem separari queant. Interea autem relinquuntur suræ unitique naturæ proprietates, sed quas altera natura cum altera in Christo ita communes habet, ut unio harum naturarum in una persona, nequaquam diuellatur, sed potius confirmetur & stabiliatur.

Non ignoro quosdam ex veteribus improbase hanc locutionem, Humanitas Christi est ubique. Nec ipse probauero eam, si hoc vocabulo (ubique) localitas significetur. Ponamus ergo docendi gratia, triplicem ubiquitatem (sic enim libet illis, ut ante dixi, absque ullo discrimine, rem verutissimam & verissimam, nostro & portentoso vocabulo infamare) videlicet, localem, repletuam & personalem. Ac nulla quidem res est, nec spiritualis nec corporalis, quæ sit ubique, locali ubiquitate: solus autem Deus natura sua est ubique, ubique repleta. Et postquam filius Dei unitus sibi humanitatem, necessario sequitur, quod ea humanitas, in unitatem personæ a filio Dei assumpta, sit ubique, ubique personali. Vocabulum igitur (ubique) recte intelligendum est. Ut sitato enim more includit in se diffusam,

fusam , & vndicq; extensam localitatem . In hac autem locutione . Humanitas Christi est vbiq; , hæc vox ( vbiq;) non significat vllam localitatem , necq; enim Deitas ipsa diffusa & extensa est localiter : quomodo ergo diceremus humanitatem Deitati vnitam localiter diffundiri & extendi ? Sed hac voce ( vbiq;) exprimitur vt cunctq; id , quod Paulus dicit . Ascendit super omnes coelos , vt omnia impleret . Et . Constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus , super omnem principatum &c . Itaq; , si sermo est de geometrico spacio locorum , humanitas Christi non est vbiq; . Ethoc sibi volunt Ecclesiastici illi scriptores , qui negat , corpus Christi vbiq; esse . Et recte dicit Gregorius , Christus non est hic , per præsentiam carnis ( videlicet , visibiliter & localiter ) qui tamen nusquam deest per præsentiam maiestatis . Si autem sermo est de cœlesti modo implendi omnia , certe , si concesseris hypostaticam duarum naturarum vñionem in Christo , fieri non potest , quin aut fatearis humanitatem Christi implere omnia , aut verbis quidem affirmes personæ vnitatem , re ipsa autem dissoluas eam , & facias duas personas , alteram alicubi cum humanitate , alteram alicubi absq; humanitate . Retinet quidem vtracq; natura , diuina & humana in Christo , sicut proprietatem , sed ita , ut persona Christi non diuidatur , & vt vbiq; est diuina natura , ibi habeat sibi vnitam humanam naturam , ne si hæc duæ naturæ diuersis locis separentur , diuersæ fiant personæ . Hieronymus aduersus Vigilantium , dicit de sanctis in Christo quiescentibus , sequuntur agnum , quocunq; ferit . Si ergo agnus ( inquit ) est vbiq; , certe & sancti vbiq; esse credendi sunt . Hæc Hieronymus . Etsi autem non ignoro , quantum hoc Hieronymi loco abusi sint Papistæ , ad stabiliendam , vt somniarunt , sanctorum inuocatio-

JOANNES BRENTIVS

Nem: nec excutiam in præsentia quid de hac argumentatione alioqui sit sentiendum: & quantum pateat illud Apocalipseos, sequuntur agnum, quoque ierit: & quod sit discrimen inter Christum, qui est in unitate personæ Deus & homo, ac inter sanctos, qui non sunt natura Di: tamen cum Hieronymus sentiat sanctos propter agnum Christum, quem sequuntur, esse ubique manifestum est, quod sentiat, etiam Christum hominem esse ubique. Itaque volui hunc locum recitare, ut ostenderem, quod haec doctrina de præsentia humanitatis Christi nobiscum in his terris non fuerit hactenus ecclesiæ ignota, & inaudita. Nam si hoc tam prodigiosum esset dogma, quam illi singunt, Hieronymus non tulisset impunè, præsertim, cum multos habuerit adversarios, qui in omnem occasionem repræhendendi

Senten. lib. 3. di-  
fin. 22.

scripta eius intenti erant. Petrus Longobardus ait, Christus totus est, ubique est, sed non totum. Hoc falsum est, si intellexeris, Christum alicubi esse, ubi non habeat secum humanitatem, personaliter, & cœlesti modo unitam; sic enim persona diuidetur. Sed verum est, si per dictum Thomæ Aquinatis, interpre-

In 3. parte summa,  
q. 52. Art. 3.

Sic enim scribit Thomas. Persona, inquiens, Christi est tota in quolibet loco, sed non totaliter, quia nullo loco circumscribitur. Est & illud verum, quod Christus non sit ubique totum, si per totum intelligas corporalem & visibilem corporis molem, & alias externas corporis circumstantias.

In senten. lib. 3.  
q. 52. Art. 22.

Bonaventura scribit. Cum dicitur ( inquiens ) Iste homo est ubique, hoc pronomen ( iste ) potest demonstrare personam Christi, vel singulare hominis. Si personam Christi, sic absque dubio ita vera est, Iste homo est ubique: si vero singulare hominis, adhuc vera est, non autem per propriam naturam, sed per communicatio-

nem

nem idiomatum : quia quod conuenit filio Dei per na-  
turam , conuenit isti homini per gratiam . Etsi autem in  
eo loco addit Bonaventura , hanc propositionem ( iste  
homo est ubiqꝫ ) falsam esse , si iste terminus ( homo )  
ponatur à parte prædicati , & significetur per hoc , quod  
forma humanitatis extendat se ad omnem locum in  
Christo : tamen & paulò ante dixit , Christum ubiqꝫ es-  
se personaliter : & nos supra docuimus , humanitatem  
Christi non esse ubiqꝫ locali extensione , sed tantum eo  
ineffabili & colesti modo , quo est Deitati hypostaticè  
& inseparabiliter unita . Author compendij veritatis Lib. 1. cap. 17.  
Theologicæ ait : Corpus Christi licet non sit ubiqꝫ ,  
cum sit creatura , nec æquari possit in huiusmodi crea-  
tori , in pluribus tamen locis est totum , sub diuersis hos-  
tis , & hoc est , propter unionem carnis ad verbum .  
Vnde merito habet amplius , quam alia creatura , quod  
in locis pluribus simul & semel possit esse . Hactenus  
scriptor compendij Theologici . Hic ergo , quæsto , con-  
sidera mihi , quam causam recitet , cur corpus Christi sit  
totum in pluribus locis sub diuersis , ut ipse loquitur ,  
hostis . Propter unionem , inquit , carnis ad uerbum . Sed  
an non propter eandem causam est ubiqꝫ in omnibus  
locis ? Nusquam enim non est personalis unio carnis ad  
verbum . Et cum dicit , creaturam non posse in huius-  
modi æquari creatori , rectè dicit , siquidem intelligit  
creaturam non ex se & sua natura habere , quod sit ua-  
biqꝫ in omnibus locis . Ostendimus autem suprà , quod  
humanitas Christi , quæ est creatura , non sit simul , nec  
in multis , nec in omnibus locis localiter & circumscri-  
ptiuè : quod vero impleat omnia colesti modo , non  
habeat ex se ipsa , sed ex Deitate , cui personaliter & in-  
separabiliter est unita .

Hac scholasticorum scriptorum testimonia nō com-  
memoro ,

IOANNES BRENTIUS

memoro, quod sentiam, nobis ad has fordes esse redēundum, & ab eis opem, ad stabilienda pia dogmata pertendam: non enim ignotum est, quantum cœlestem doctrinam humana Philosophia corruperit, Sed ut ostendam, quod ne ipsorum quidem sententia, si Sophisticæ fordes abluantur, & dextrè intelligantur, nobiscū pugnet. Nec Lutherus (quod scripta eius testantur) cum ex sessione Christi ad dextram Dei patris, docet corpus Christi esse ubiqꝫ, aliud intelligit, quam quod Paulus dicit: Ascendisse Christum super omnes cœlos, ut omnia impleret, & quod vulgo dicitur, duas naturas, diuinam videlicet, & humanam esse in persona Christi hypostaticè, indiuisse, indiuisse, inseparabiliter unitas. Quare, sicut nec natura humani corporis, quod est cum Deitate hypostaticè & personaliter unitum, impedit, quo minus humanitas Christi impleat omnia cœlesti modo: ita multò minus impedit, quo minus corpus & sanguis Christi sint in Sacramento, hoc est, pane & vino cœnæ, non quidem localiter, nec circumscriptius, nec etiam transubstantialiter (ut Papistæ nugantur) sed verè, realiter, & substantialiter, ac cœlesti, & humanæ rationi incomprehensibili modo præsentia. Hactenus de hypostatica & personali duarum naturarum unitione in Christo.

Percurramus nunc Ascensum Christi in cœlum, & sessionem eius ad dextram Dei patris. Quem fidei nostræ articulum illi nobis ad proturbandum corpus & sanguinem Christi è cœna, obijcere solent.

Ac initio, Non iam quæritur, nec dubitatur, num Christus in cœlum ascenderit. Manifestum enim & certum est, quod Christus quadragesimo die à sua resurrectione, ascenderit è monte Oliveti, videntibus discipulis suis, ad cœlum, & subductus sit nube ab oculis eorum.

eorum. Hæc visibilis ascensio Christi in cœlum habet certissima Propheticæ & Apostolicæ scripturæ testimonia, & cur facta sit, in Catechismo explicari solet, nec est huius loci. Illud autem in præsentia quæritur. Num Christus in cœlum ita ascenderit, vt nec antea, nisi iuxta diuinitatem, fuerit in cœlo, & nunc in cœlo localiter & circumscriptiuè sic commoretur, vt non sit etiam (sed cœlesti & inenarrabili modo) in terra, nec corpus & sanguis eius possint verè & realiter esse in coena. Hoc certè negandum est, nec hactenus ab ullo firmis argumentis demonstratum est, quod corpus Christi, hoc externum & mundanum cœlum ita occupet, vt necesse habeat à coena & pane eius substantialiter abesse. Non ignoramus cœlum illud mundanum, et si ipsum non est in loco, quemadmodum suprà dictū est, tamen habere & continere intra se sua loca, quæ sint diuersa, & à locis huius terræ, iuxta humanos oculos, longè distantia. Nec hoc negamus, quin Christus possit etiam localiter in hoc cœlo esse, & ubiunc⁹ voruerit, localiter ac circumscriptiuè sese patefacere. Sed illud nunc agitur, num, quemadmodum loca cœlestia & terrestria distant inter se in oculis humanis, ita etiam distent corpori Christi, quod est cum Deitate persona liter & inseparabiliter vnitum? Non certe nobis de humanitate Christi, & corpore eius, in hac quidem parte, cogitandum est, sicut de alio hominis corpore. Quod ut cognoscamus, paulò copiosius explicandum erit. Et quia anteà dictum est, de hypostatica vnione duarum naturarum in Christo, quæ testificatur, in quantum maiestatem humanitas Christi sui euecta, & exaltata, dicemus nunc de ascensi Christi in cœlum. Non enim sic in cœlum ascendit, vt hæreat in aliquo certo huius exteriori cœli loco. Tametsi enim nō admittimus ei suam

E potestas

## IOANNES BRENTIVS

potestatem, sicut iam diximus, quin possit, si velit, etiam  
 in hoc externo cœlo visibiliter commorari: tamen al-  
 census eius non sic ipsum in hoc cœlo colleauit, ut non  
 etiam transcederit, & superauerit omnes cœlos. Non  
 Christianum, sed Aristotelicum est, corpus Christi in-  
 tra ambitum huius cœli concludere. Aristotelis vox  
 est, non Christi, ἐγώ τοῦ διαφάνος δείπνον εἰσήγαγον, οὐδὲ πρότερον γένεσιν σώμα.  
 Extra cœlum non est, nec esse potest corpus. Fingamus  
 autem Christum in hoc externo cœlio, habere suum lo-  
 calem thronum, seu ut vocant, residentiam, quid: Cer-  
 te præstantiori corpori, quale est corpus Christi, debe-  
 tur etiam præstantior in cœlo locus. Scio cœlum ho-  
 minibus sub eo habitantibus esse vndicè sursum: sed si  
 Aristoteli, hoc est, Physicis speculationibus, creden-  
 dum est, non polus Arcticus, qui supra nos in nostro  
 hemispherio apparet, sed polus Antarcticus, qui infra  
 nos est, superior, ideoq; etiam præstantior pars cœli iu-  
 dicatur. Quare si Christo præstantior locus in cœlo de-  
 betur, certè commorabitur non supra, sed infra nos,  
 circa polum Antarcticum. Et si omnino libet corpus  
 Christi in peculari ac certo loco huius externi cœli col-  
 locare, necessarium est, ut collocetur in altero tantum  
 polorum, siue Arctico siue Antarcticō: quippe quod  
 hi soli sint in cœlo fixi & immobiles: aliae autem cœli  
 partes rapiantur & conuoluantur motu firmamenti,  
 singulis diebus circa terram: nisi forte sentias, quod  
 Christus corpore suo singulis diebus semel circumve-  
 hatur vñā cum cœlo circa terram, & contempletur,  
 quid vbiuis in terris agatur. Et quod tandem se recipiet  
 Christus cum corpore, adeocq; cum omnibus sanctis  
 suis, postquam hoc externum cœlum præterierit, sicut  
 Christus dicit, & igni conflagrauerit, sicut Petrus do-  
 cet: Necq; enim Aristoteles permittebat, ut se recipiat ex-  
 tra

tra cœlum, quippe quod iuxta sententiam suam, fieri non possit, ut corpus sit extra cœlum, etiamsi alioqui sentiat extra cœlum esse entia, quæ optimam vitam ducant. Sed abeant ista. Vera sententia de Ascensu Christi in cœlum petenda est, non ex humana ratione, sed ex verbo Dei. Ascensum ergo Christi in cœlum interpretatur, primum, illa in symbolo appendix, omnibus Propheticis & Apostolicis scriptis confirmata; Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis. Dextra autem Dei, non est aliquis corporalis, aut mundanus locus, ad quem Christus se se quasi alligarit, sed est omnipotentia & maiestas Dei. Quæcum non sit in unum aliquem peculiarem locum sic conclusa, ut non cœlum & terram, adeoq; omnia impleat, necessariò sequitur, quod nec Christus humanitate sua, qua consedit ad dexteram Dei, in hoc externo tantum cœlo sit collocatus. Quod enim dextera Dei, ad quam Christus consedit, impleat cœlum & terram, non tantum significat Regnum Christi & virtutem eius, vndeque patere, sed etiam humanitatem eius, qua ad dextram Dei consedit, omnibus rebus coram, idq; cœlesti non humano modo adesse, & omnia in conspectu suo habere, & presentem gubernare. Quod cum Lutherus in libello, cui titulum fecit (Verba Christi in coena, Hoc est corpus meum &c. adhuc firma constare) copiose & pie exposuerit, ac ita confirmarit, ut oppugnari quidem ab humana ratione, & sophistico artificio, expugnari autem veris argumentis non possit, in praesentia non ero longior.

Deinde ascensum Christi interpretantur Apostolica dicta. In actis Apostolicis dicit quidem Petrus: Oportet Iesum Christum cœlum suscipere, usq; ad tempora restitutionis omnium: non autem significat Chris-

IOANNES BRENTIVS.

stum in externo hoc cœlo hærere, sed eum esse ab oculis discipulorum sublatum, & habere cœlestē, non terrestre imperium. Audiamus ergo Apostolicam interpretationem. Ad Ephes. cap. 4. scribit Paulus. Ascendit super omnes cœlos, ut O M N I A impleret. Paulus non alligat Christum cum sua humanitate ad vnum aliquem huius externi cœli locum, sed effert eum super O M N E S cœlos, & addit expresse, ut O M N I A impleret. Quæ omnia? Num vaticinia prophetica? Scio hanc esse multorum tam veterum, quam recentium scriptorum expositionem. Ac verum quoq; est, quod per Christum omnia prophetica de ipso vaticinia impleta sint. Paulus autem non loquitur hic de hac impletione, sed de impletione inferorum & superiorum, hoc est, cœli, terræ, & omnium rerum: paulò enim antè dixerat. Qui ascendit, quid est nisi qui & descendit primum in inferiores partes terræ? qui descendit, ipse etiam est, qui ascendit super omnes cœlos. Hic audis, inferiores partes terræ. Audis supremos cœlos. Vides antithesin descensus & ascensus. Fieri ergo non potest, vt verbum (implendi omnia) hoc loco referas ad vaticinia prophetica, sed ad ea, quæ proxima sunt, infimas videlicet ac supremas mundi partes: ut significetur, Christum accepisse maiestatem Dei patris sui, & dominationem omnium, tam infimarum, quam supremarum rerum: & eas corām, præsentem, non Deitate tantum, sed & humanitate gubernare, & conservare. Accedit hoc & illud, quod ad Heb. scriptum est.

Heb. 4. Habemus pontificem magnum, qui penetrauit cœlos. Non dicit, Qui hæsit in aliquo loco cœli, sed per cœlos

Heb. 7. penetrauit. Quod in alio loco clarius ostendit. Sublimior, inquiens, cœlis factus. Si sublimior est cœlis, quomodo intra cœlum in aliquo loco ita continetur, ut non alia

alia quoque impleat: Sed in quantum sublimitatem Christus humanitate sua euaserit, Paulus alias clarissimè exponit, ad Ephes. scribens : Deus constituit Iesum ad Ephes. 1. dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, &c. Et ad Philip. 2. Deus exaltavit illum, & dedit ei nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, Hæc dicta efferunt Christum cum sua humanitate, non super omnes tantum externos cœlos, verum etiam super omnem creaturam, siue cœlestem siue terrestrem, Et quid? An non Christus intravit humanitate sua in gloriam patris sui, & accepit omnem eius maiestatem? Esaias autem de Es. 40. gloria & maiestate Dei dicit: Metitur aquas pugillo, & ponderat cœlos palmo, Appendit tribus digitis molem terræ, & librat pondere montes, & colles stathera. Et 2. Paralip. 2. Solomon: Cœlum, inquit, & cœli cœlorum te capere non possunt. Cum igitur Christus humanitate sua ad hanc gloriam & maiestatem Dei patris ascensu suo evectus sit, tantum abest, vt ascensus eius in cœlum, probet eum, in loco aliquo corporalis huius cœli haere-re, ut potius testificetur eum super omnes cœlos, adeoque super omnia tam infera quam supera, tam terrena quam celestia exaltatum.

Sed prosequamur institutum. Manifestum est, quod Christus quadragesimo à resurrectione die, in cœlum ascenderit, & in conspectu discipulorum suorum sublatus sit visibiliter, vt federet ad dextram patris sui, & impleret omnia. Nunquid autem alias non ascendit invisibiliter? An iam primum ascendit in cœlum, & condidit ad dextram patris, cum sublatus est in monte Oliveti, ab oculis discipulorum? Tum quidem primum

JOANNES BRENTIVS.

ascendebat visibiliter, sed ascenderat etiam iam antea,  
& cōsederat ad dextram Dei inuisibiliter, in sua à mortuis  
resurrectione. Est enim ascensus visibilis, qui factus est in monte Oliveti. Est & ascensus inuisibilis,  
qui est factus in resurrectione. Apud Matthæum ait Christus: Non bibam amodo de hoc genimine vitis,  
vscq; in diem illū, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. Negari autem non potest, quin statim post resurrectionē comedenter & biberit cum discipulis. Manifestum igitur est, quod fuerit tum in regno patris sui, ad quod in resurrectione, inuisibiliter ascenderat.

Apud Lucam ait: Nonne oportuit hæc pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Absoluerat autem iam postquam à mortuis resurrexisset, passionem suā. Reliquum igitur est, quod & iam intrasset in gloriam & maiestatem suam, ac sederet ad dexteram Dei. Non grauabor autem lectori expendendum proponere, &   
To.4. hoc adscribere, quod de hac re Hieronymus ad Marcellam scribens. Extrema ( inquit ) schedula continebat, Vtrum post resurrectionem quadraginta diebus, D O M I N V S cum discipulis cōuersatus sit, & nunquam alibi fuerit, & latenter ad cœlum ascenderit atq; descenderit, & nihilominus Apostolis suam præsentia non negarit: Si D O M I N V M Dei filium consideres de quo sermo est, & illum esse qui loquitur. Nonne cœlum & terram ego repleo dicit D O M I N V S: Et de quo aliis Propheta testatur: Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. Et rursum alibi: Qui tenet cœlum palmo, & terrā pugillo. De quo David canit: Quid ibo à sp̄itu tuo, & quid à facie tua fugiam: si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Et si habitauero in extremis maris, etenim ibi manus tua deducet me, & continebit me dextera tua.

ra tua. Profectò non ambiges , etiam ante resurrectionem sic in dominico corpore habitasse Deum verbum, vt in patre esset , & coeli circulum clauderet, atq; in omnibus insulis esset & circumfusus, id est, vt cuncta penetraret interior, & contineret exterior. Stultum est igitur illius potentiam vnius corpusculi parvitate finiri, quem non capit coelum, & tamen, qui vbiq; erat , etiam in filio hominis totus erat . Divina quippe natura, & Dei sermo in partes secari non potest , nec locis diuidi, sed cum vbiq; sit, totus vbiq; est.

Erat igitur vno eodemq; tempore , & cum Apostolis quadraginta diebus, & cum Angelis , & in patre, & in extremis maris finibus . In omnibus locis versabatur, cum Thoma in India , cum Petro Romæ, cum Andrea in Achaia , cum singulis Apostolis & Apostolicis viris, in singulis, cunctisq; regionibus. Quod autem dicitur, quosdam deserere, vel non deserere, non naturæ illius terminus ponitur, sed eorum merita describuntur, apud quos esse, vel non esse dignatur. Hactenus Hieronymus . Expendamus igitur, quantum ad praesens institutum attinet, hoc responsum. Marcella interrogauerat, vtrum Christus post resurrectionem, & ante ascensionem eius sic apparuerit discipulis , vt interea latenter in celum ascenderit, & descenderit ? Quæstio autem est , non de praesentia diuinitatis Christi , quam Marcella proculdubio non ignorabat, sed de praesentia humanitatis eius, num videlicet Christus post resurrectionem vscq; ad tempus ascensionis eius, semper visibiliter humanitate sua cum Apostolis sit conuersatus: an interea latenter in celum ascenderit & descenderit ? Hic si Hieronymus, cum concionatur de praesentia Christi in omnibus locis & regionibus , intelligit tantum praesentiam diuinitatis eius, insignis sit impostor, necesse est, quod

## IOANNES BRENTIVS

quod interrogatus de beta , respondeat de cucurbita,  
Muliercula enim non interrogauerat de præsentia di-  
uinitatis, sed de præsentia humanitatis Christi. Ego ve-  
ro melius de Hieronymo sentio, & existimo eum recte  
ad quæstionem respondisse. Quæ igitur concionatur  
de præsentia Christi in omnibus locis, intelligenda sunt,  
non tantum de præsentia diuinitatis eius, de qua Mar-  
cella non interrogauerat, sed etiam de præsentia huma-  
nitatis , quæ humanitas cum diuinitate hypostaticè est  
vnita , ideoq; sic ei coniuncta , vt vbiq; hæc sit , illa  
non absit. Adscribamus huc etiam Ambrosium in il-  
lud dictum Christi apud Lucam. Quocunq; supereros  
gaueris, reuertens, reddam tibi. Spondet ergo , inquit  
Ambrosius, se rediturum: Quando reuerteris domine,  
nisi in die iudicij: Nam licet vbiq; sis semper, & stans in  
medio nostrum, non cernaris à nobis, erit tamen tem-  
pus, quo vniuersa caro te aspiciat reuertentem. Hacte-  
nus Ambrosius. Facile quidem dictu est, Ambrosium  
loqui de præsentia diuinitatis: sed manifestum est, quod  
loquatur de tota persona Christi , & quod humanitas  
Christi in vnitatem personæ assumpta , non patiatur se  
tam libenter à sua diuinitate auelli, quam facile ab ho-  
minibus dicitur. Sed reuertamur ad propositum. Nam  
quemadmodum Christus visibili suo ascensu in coelum  
non est testificatus , quod in aliquo externi coeli loco  
vscq; ad extreum huius mundi diem , semper circum-  
scriptus teneatur, sed potius, quod habeat regnum cœ-  
leste , & non sit amplius, donec redeat ad iudicandum  
orbem terræ , apud suos humano modo conuersaturus:  
Ita apparitionibus suis post resurrectionem non signi-  
ficauit, se intra tempus resurrectionis & visibilis ascen-  
sionis suæ , non esse in regno patris sui , nec sedere ad  
dextram eius , in omni maiestate , sed voluit his appa-  
ritionibus

xitionibus veritatem suæ resurrectionis comprobare, cum nihilominus interea cœlum & terram impleret, ac super omnem principatum & potestatem constitutus esset.

Quid autem opus est, de tempore tantum resurrectionis & ascensionis Christi dicere, cum iam inde ab initio, in momento incarnationis suæ ascenderit invisibiliter in cœlum, & ad dexteram Dei patris sui sedes sit? Miraberis fortasse quid hoc sibi velit: sed mirari debes, si recte consideraueris hypostaticam vniōnem duarum naturarum in Christo, quæ ab initio incarnationis facta est. Nam si Deitas & humanitas Christi, vna sunt, & inseparabilis persona certe negari non potest, quin cum filius Dei assumpsit in utero matris filium hominis in unitatem personæ, continuò euexerit & collocauerit eum, in ea maiestate & gloria, in qua ipse ab æterno apud patrem suum fuit: Nondum passus erat mortem, cum coram discipulis transfiguraretur in monte. Quo spectaculo, cum maiestatis suæ quasi gustum quandam discipulis præberet, palam significauit, cœlestem maiestatem, sibinec haec tenuis ab initio incarnationis defuisse, nec vñquam in æternum defuturam. Nemo (inquit) ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Qui descendit (inquit) de cœlo. Et quando hoc factum est: Quando assumpsit in utero matris filium hominis in eandem personam. Itaque & tum ascendit filius hominis in cœlum, & est deinceps in cœlo, etiam si in terra omni contumeliarum genere afficiatur. An non enim Paulus dicit: Regnum Dei est iustitia, pax, & gaudium in spiritu sancto? Christus autem habuit omnem iustitiam, & omnem cum Deo patre suo pacem, omnęque in spiritu sancto gaudium, etiam priusquam resurgeret à

F. mortuis,

## IOANNES BRENTIUS

mortuis, & in coelum visibiliter ascenderet. Negari ergo non potest, quin & tunc fuerit in regno patris sui. At enim si tanta fuit maiestas humanitatis Christi ab initio assumptionis eius in Deum, quomodo gestauit humanas imbecillitates? quomodo passus est flagella & mortem? Facilis & vera est responsio: Suscepit nostras imbecillitates, non necessitate sed voluntate: & passus est mortem non coactus, sed volens. In tanta enim erat maiestate, vt potuisset ab initio has imbecillitates non suscipere, aut iam susceptas uno momento abesse: sed voluit sua sponte eas suscipere, & usq; ad mortem perficere, vt voluntati patris satisfaceret, & nostram salutem coram eo, expiatione peccatorum nostrorum per mortem procuraret. Cum in forma Dei esset (inquit Paulus) non rapinam arbitratus est, esse aequalem Deo, sed inaniuit semet ipsum, forma serui accepta, in similitudine hominum factus: & habitu inuentus ut homo, humiliauit semet ipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Itaq; uerè passus est manus dolores, uerè mortuus est: Interea tamen retinuit suam maiestatem autoritatem (vt superius secundum loquebatur) quam suo tempore patefecit executivam. Accedit & illud, quod et si tempore humilitatis suae non ostentauit summam suam, quam habuit, maiestatem, tamen non omnino eam sic dissimulauit, vt non aliquoties presentiam eius manifestis argumentis testificaretur. Nam & quadraginta diebus ac noctibus se ieiunauit, & super aquas ambulauit, & inuisibilem se reddidit, & tactu mortuos suscitauit, & se coram discipulis suis cœlesti gloria transformauit. Ac mirandum est, quod cum illi, qui admunt humanitati Christi suam cœlestem, cum in coelo & in terra, tum præcipue in coena Dominica, presentiam, necesse habeant multa spissitudo.

ta spiritualia & coelestia ornamenta : corporibus alios  
rum hominum , abscē substantiæ ipsorum immutatio-  
ne , tām in hoc , quām in futuro seculo concedere , non  
tamen eandem , aut etiam excellentiorem maiestas  
tem illi corpori , quod in persona Christi , cum diuinis  
tate eius hypostaticè vnitum est , concedant . Cogis-  
ta , quæso , mihi , quām absurdæ rerum mutationes si-  
ant , si firmum & fixum teneamus , quòd ubi rerum  
substantijs accidunt diuino miraculo ~~in opuscula~~ , statim  
substantiæ ipse mutentur , necesse sit . Vultus Moysi tan-  
to splendore fulget , vt Israelitæ non possint in eum in-  
tendere . Elias corpore suo subuehitur in cœlum . Pe-  
trus corpore suo ambulat in mari tanquam in arida .  
Philippus euanevit de repente ex oculis Eunuchi .  
Paulus rapitur in tertium cœlum & in Paradisum , &  
nescit , an in corpore , an extra corpus . Atq; hæc qui-  
dem ~~in opuscula~~ in hoc seculo humanis corporibus , non  
immutata ipsorum substantia , mirabiliter contige-  
runt . Sed quid ? Non tantum hominum , verum eti-  
am aliarum rerum , tām animatarum , quām inanima-  
tarum corporibus multa ~~in opuscula~~ accidere solent , ma-  
nente interim substantia earum inuiolata . Asina Biles  
am loquitur , sicut homo . Aqua maris rubri stat vtrincq;  
quasi murus . In Iosua , sol & luna stant per vnum diem  
immobiles , & tamen natura eorum est , vt indelinenter  
currant . Plato ait , solem & lunam à veteribus dici ~~solis~~ ,  
hoc est , cursores , quòd semper soleant ~~solis~~ ( hoc est )  
currere . Aristoteles scribit nullum esse finem motus  
coelestis . Num igitur interea , dum Sol & Luna stant  
contra Gibeon immobiles , non retinuerunt suam sub-  
stantiam , & sol non mansit sol , nec luna mansit luna ?  
In quarto libro Regum , ferrum natat in superficie a-  
qua , & tamen manet ferri substantia , etiamsi grauitas

IOANNES BRENTIVS.

cedat. Dices, aut angelum, aut Deum ipsum supposu-  
isse manum ferro, ut in altum sustolleretur. Recte, nec  
nos affirmamus, quod quae <sup>in</sup> corpora accidentunt corpori  
Christi, accident ei absq; potentia manus Dei. Et apud  
Danielem, ignis in tantum non laedit adolescentes, qui  
in eum conieci erant, ut ne quidem capillos capitis es-  
orum adureret. Sed de miraculis corporum in hoc se-  
culo hactenus. In futuro autem seculo in resurrectione  
mortuorum, corpora humana, eis ornabuntur cœlesti  
gloria, non tamen non erunt vera corpora. Enumerari  
solent quatuor dotes, quibus humana corpora orna-  
buntur. Impassibilitas, claritas, subtilitas & agilitas: se-  
minatur, inquit Paulus in corruptione, surget in in-  
corruptionem, seminatur in ignobilitate, surget in gloria,  
seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur  
corpus animale, surget corpus spirituale. Et mox: Sicut  
portauimus imaginem terreni, ita portabimus imagi-  
nem cœlestis. Et Augustinus: Credere, inquit, debe-  
mus talia corpora nos habituros, ut ubi velimus, quan-  
do voluerimus, ibi simus. Ac rursus: Non sine causa  
illa corpora spiritualia nuncupata sunt, Non ideo dicta  
sunt spiritualia, quia erunt spiritus, non corpora: nam i-  
sta, quæ modò habemus, dicuntur animalia corpora, &  
tamen animæ non sunt, sed corpora. Sic illa spiritualia  
dicuntur, sed non sunt spiritus, nisi quia ad nutum spi-  
ritus seruent. Et mox: Vbi volueris, eris, sed à Deo  
non recedes. Vbi volueris, eris, sed quocunq; eris, De-  
um tuum habebis. Audis, quanta maiestas, quantæ do-  
tes humanis corporibus diuinitus contingent: & pu-  
tas tu, non multò plures, illustriores, & diuiniores illi  
corpori, quod est à filio Dei in unitatem personæ, in  
hypostaticam visionem assumptum, contingere absq;  
substantiæ mutatione posse; Augustinus & multi alij  
sentis

sentiunt Christum in nativitate sua transisse per clausum uterum maternum, & à resurrectione, per clausa ostia ad discipulos. Quid mirum, inquit Augustinus, si dominus ad discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo, ianuam mundi huius intravit? Cuius ortum naturæ nesciunt: non dubites, si potentiam exercere videoas triumphantem, quem tam stupenda perspicis egisse nascentem. Et iterum. Quid mirum, si substantiam corporis nostri per clausa ostia transmisit, cui etiam penetralia supernorum, & solis angelis familiare secretum patere consuevit. Hactenus Augustinus, Alij tradunt, corpus gloriosum transire spheras cœlorum sine earum diuisione: siue autem hoc fiat ex visibilitatis, ut ipsi loquuntur, siue ex virtute diuinæ potentiae, certè duo corpora in uno loco sint, necesse est. Quod profecto non minus miraculum est, quām si unum corpus fuerit simul in duobus aut pluribus locis. Ac breuiter, si filius Dei non designatus est filium hominis in hypostaticam, & inseparabilem unionem assumere, & secum ad dextram Dei eucere, non designatur etiam in eum omnem suam coelestem maiestatem, seruata interim substantia eius, conferre. Quare tantum abest, ut visibilis ascensus Christi in cœlum, & sessio eius ad dextram Dei patris, impedimento sint, quò minus corpus & sanguis eius sint vere & realiter præsentia in coena, ut id maximè omnium stabiliant & confirment. Nec potes ea è coena cibcere, nisi simul etiam ea de dextra patris detraxeris.

Dices autem. Si hypostatica unio duarum naturarum in Christo tantum valet, ut ubiunque est Deitas, ibi etiam sit humanitas, non quidem, ut sapè dictum est, locali diffusione, nec Geometrica extensione, nec

IOANNES BRENTIVS

erat circumscriptio , nec stupenda illa , quam Pa-  
pistæ somniant , transsubstantiationem , sed mirando , et  
cœlesti modo , Quid opus erit , ut accipiam corpus &  
sanguinem Christi , in coena ab ipso instituta , cum ha-  
beam domi panem & vinum , in quibus corpus & san-  
guis Christi præsentia sint , & liceat mihi singulis die-  
bus , imò & horis ea sumere : sed audi vicissim . Etsi  
Christus sua maiestate una cum corpore & sanguine  
suo à tuo domestico pane & vino , minime absit , tamen  
ut sumas ea efficaciter , verbum Christi sequendum est .  
Cum Christus subiturus esset mortem , & donaturus  
nobis corpus & sanguinem suum , ut certificaremur  
de remissione peccatorum , & æterna vita , non remisit  
Ecclesiam ad panem & vinum domesticum , sed ad pa-  
nem & vinum suae coenæ , vbi dicitur , Accipite , edite ,  
hoc est corpus meum . Bibite , hic est sanguis meus . In  
coena igitur , vbi est verbum & mandatum Christi , ac-  
cipitur corpus & sanguis eius : ut cum hæc antea , ex  
personali vniōne duarum naturarum in Christo , & ex  
sessione eius ad dextram Dei patris , verè quidem , non  
autem localiter , sed personaliter & cœlesti modo , præ-  
sentia sint , nunc fiant etiam præsentia definitiæ . De-  
finit enim Christus verbo suo , vbi velit corpus & san-  
guinem suum , ut sumantur , dispensare . Hanc defin-  
itionem vocamus alias consecrationem . Sed de hac re  
Lutherus plura , in libello , cui titulum fecit ( Quòd ver-  
ba Christi in coena , Hoc est corpus meum , &c . firma-  
conscient ) & alias copiose à me explicatum est .

Postremò multi admirantur , quomodo fieri possit ,  
quòd cum Christus de esu carnis sue , et de potu sanguis  
sui dicit : Qui manducat meam carnem , & bibit me-  
um sanguinem , habet vitam æternam , nihilominus ta-  
men impij hypocritæ , et homines scelerati ac impen-  
tentes ,

entes, qui non habent veram fidem, sumant in coena corpus & sanguinem Christi: Sed si, quæ de præsencia & dispensatione corporis et sanguinis Christi in cena supra diximus, recte animaduersa sunt, nihil hic scrupuli relinquetur. Nam cum ex personali vnione duarum naturarum in Christo, & ex verbo Christi constet corpus & sanguinem eius verè ac substantialiter in cena adesse, & distribui, mendacium hypocrita rum & sceleratorum hominum, non est tanti, ut veritatem verbi Dei euertat. Incredulitas, inquit Paulus, illorum, fidem Dei non facit irritam. Ac sumunt quidem illi corpus & sanguinem Christi, in cena, tantum aut abest, ut salutarem harum rerum fructum percipiant, ut potius sibi periculum æternæ salutis hac sumptione creant, iuxta dictum Pauli: Qui edit & babit indignè, iudicium sibi edet & babit, nō dijudicans corpus D O M I N I. Et quid mirum? An non Deus ipse, qui cœlum & terram replet, quo omnes sumus, viuimus, & mouemur, natura sua non est, nisi iustitia, charitas, rectitudo, vita, lux, veritas & felicitas? Et tamen hominibus persuersis, iuxta Psalmum, est peruersus, iniustis iniustus, excæcatis excæcatio, mendacibus mendacium, nō quidem vitio Dei, sed vitio hominum impiorum, qui tales sibi Deum fingunt, quales ipsi sunt. An non Evangelion Christi, sapientia & potentia Dei est, ad salutem omni credenti? Et tamen stultis est stultitia, & pereuntibus internitio. Audi mihi Christum ipsum. In Iudicium (inquit) veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Funt autem cæci, non quia Christus nō sit lux, sed quia ipsi sunt tenebre, quæ cum hac luce pugnant, & suo ipsorum vitio excæcentur. Quare etsi corpus & sanguis Christi in cena, sunt credentibus cibus & potus ad æternam vitam, tamen

IOANNES BRENTIVS

tamen hypocrita & impenitentes edunt & bibunt si-  
bi iudicium, seu damnationem, quod quae sunt maxime  
salutaria, sua ipsorum impietate abutantur.

**H**æc sunt, quæ visum est, de vera præsentia & di-  
spensatione corporis & sanguinis Christi in cœna,  
commemorare. Ac nunc quidem nonnihil etiam de  
vero vnu cœnae dominicæ dicendum esset, Sed quia hoc  
aliâ copiose explicatur, non detinebo diutius pium le-  
ctorem. Precor autem Deum patrem DOMINI  
nostrî Iesu Christi, ex animo, ne vñquam spiritum su-  
um à me sic auferat, vt sim noui in Ecclesia dogmatis  
vel inuentor vel defensor. Sed quod in asserenda indis-  
solubili, & inseparabili deitatis & humanitatis Christi  
vnione, quam isti nouo vocabulo πανταχονισμὸν ἡ παντοποίησις  
vocant, & in explicanda sessione Christi ad dextram  
Dei patris, ac in affirmando vera præsentia corporis  
& sanguinis eius in cœna, sequar sententiam D. Luthe-  
ri, inde adeo accidit, quod videam eam certissimis spi-  
ritus sancti testimonij munitam. Non nego, quin ma-  
gna turba tam Ecclesiasticorum, quam Scholasticorum  
scriptorum, hominem Christum in hoc externo & mun-  
dano cœlo circumscriptiuè ita collocent, vt non per-  
mittant humanitatem eius cum Deitate vbiq; vnitam  
esse: sed dissimiles sunt eorum sententiae, quemadmo-  
dum suprà ostendimus, et solent aliquoties in tanto my-  
sterio, rationibus magis philosophicis, quam theologi-  
cis indulgere. Malo igitur sequi, quod oracula spiritus  
sancti, quæ sunt scripta Prophetica & Apostolica, cre-  
dendum, quam quod rationes humanæ sapientiæ, in-  
telligendum proponunt. Qui initio arma nostra spiri-  
tualia, aduersus Antichristianismum, magno consensu  
expediuiimus, ea nunc, ô rem miserrimam, in nostra  
ipolorum viscera ita conuertimus, vt aliij veram præsen-  
tiā

tiam corporis & sanguinis Christi in cena, multò hos  
stilius oppugnant, quām vñquam aduersus Papistas  
sunt grassati: alij, ne non sit satis offendiculorum in Ec-  
clesia, vbius ex amicorum vel scriptis, vel dictis, vel  
factis venentur, quod calumnientur, & quod sectæ no-  
mine anathematizent ac condemnent. Qui cum mul-  
tos innocentēs falsō sectarios faciant, non intelligunt  
se nouum sectæ genus, quod est *anathematisatio*, creare. In-  
ter hæc socialia bella, & Ecclesia filij Dei pericitatur: &  
hostes ad opprimendam eam haud quaquām dormis-  
tant. Quid ergo faciamus? Alius alia consilia proponit.  
Ego, quod ad me in his difficilimis rebus, & in tanta  
animorum distractione attinet, memini quod de seni-  
bus dictum est, *νηστεία γέροντων*. Repeto igitur precatio-  
nem regis Iosaphat. In nobis quidem non est tanta for-  
titudo, ut possimus tanta offendicula ē regno Christi  
tollere, & tranquillitatem constituere: sed cum ig-  
noremus quid agere debeamus, hoc solum  
habemus residui, vt oculos nostros  
ad te DOMINE Deus  
noster diriga-  
mus.

G SEQVVN.

*SEQVNTVR*

SELECTA QVÆDAM LO-  
CA E. SCRIPTIS D. MARTINI LVTHE-  
RI, IN LATINAM LINGVAM CON-  
VERSA, DE VERA PRAESENTIA  
CORPORIS ET SANGVINIS CHRI-  
STI IN COENA, QVIEVS EX-  
PLICANTVR HAEC CAP<sup>ta</sup>  
TA NOSTRAE RELI-  
GIONIS.

- I. Verbum caro factum est.
- II. Ascendit in cœlum.
- III. Sedet ad dextram Dei patris.

# PIO LECTORI

IOANNES BRENT

TIVS. S. D.



PERO ME PATIENTIA TVA,  
Optime lector, haudquaquam abu-  
ti, si, priusquam te dimittam, selecta  
quædam loca è germanicis scriptis

Reuerendi doctoris, fœlicis memo-  
riæ, Martini Lutheri, in latinam linguam con-  
uersa, illi nostro scripto adiecero, quibus admi-  
randa vnió duarum naturarum in Christo, af-  
census Christi ad cœlum, & sessio eius ad dæx-  
tam Dei patris ita explicantur, vt nō dubitem,  
quin, si collibeat ea diligenter percurrere atq;  
expendere, omnem tibi de vera præsentia cor-  
poris & sanguinis Christi in cœna dubitatio-  
nem tollant. Hæc scripta Lutheri tot iam annis  
extant in Ecclesia: & aluerunt hactenus inter  
nos, qui Augustanam Confessionem verè ag-  
noscimus, summam, diuino beneficio, concor-  
diam: nec inter nostros quisquam, quod ego  
sciā, fuit, qui eam vel superstite adhuc Luthero,  
vel statim ab excessu eius ex hac via impugna-  
rit. Quo autem faro fiat, vt his temporibus in  
dubiumveniant, imò tanquam monstrosa dog-  
mata consputentur, mirari satis nequeo. Illud

G ñ autem

P R A E F A T I O.

autem scio , quod Paulus cohortetur nos , vt  
non simus pueri, qui fluctuemus & circumfe-  
ramur quoniam yento doctrinæ : sed vt ὑπληρωφορία  
nisiw: confessionem fidei teneamus. Bene  
ac fœliciter vale, & hanc nostram  
operam boni con-  
sule,

L V T H E-

**L V T H E R V S I N S E C V N D O**  
 libro aduersus cœlestes prophetas de cœ=  
 na dominica fol. L X III. fa. I.

**C**Æterum quod Doctor Carolostadius pergit casuillari & dicere, Christum non venire de cœlo in cœnam, propterea quod Paulus dicit: Mortem Domini esse adnunciandam, donec veniat: ac iterum ludibriio habet verbum Domini, Num videlicet Christus necesse habeat, propter fœtidum anhelitum ebrœi sacrificuli, è sede maiestatis suæ exilire; & an possimus eum de cœlo detrahere, ac quasi captiuum deducere? Item, Num Christus, cum in panem irreperet, necesse habuerit suum locum, in quo sedebat, deserere, ac nunc quoque, cum in panem ingreditur, cœlum deserat? Et multas id genus alias blasphemias voces euomit: quæ omnia tam puerilia, tam crassa, tam detestanda inter se confusa sunt figmenta, ut indigna sint quibus respondeatur.

Non enim dicimus, quod Christus descendat de cœlo, aut deserat suum locum vacuum, alioqui hic fanaticus spiritus necesse haberet affirmare, quod filius Dei, cum in utero matris suæ homo fieret, deseruisset cœlum: adeoque quibus ludibriis Carolostadius nunc exagitat corpus Christi in sacramento, ijsdem oportet eum exagitare diuinitatem Christi, in carne, sicut & suo tempore faciet. Item, cum Stephanus (Act. 7.) videret Iesum, non dixit, quod veniret de cœlo, sed quod staret ad dextram Dei. Et Paulus Act. 9. audiuit quidem ipsum loquentem, & tamen de cœlo non descendebat. Breuiter, hic furiosus spiritus fascinatus est puerilibus cogitationibus, perinde ac si Christus ascenderet ac descederet, nec intelligit regnum Christi, quomodo sit Christus ipse in omnibus locis, & omnia, ut Paulus ad

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA.

Ephe. cap. i. ait, impletat, Nobis non est mandatum, ut perscrutemur, quomodo noster panis fiat & sit corpus Christi: habemus verbum Dei, quod perspicue illud assertas: in hoc cōsistimus & hoc credimus: cum hoc uero, miserime Satan rixeris, si libet, & tantisper scrutes, donec te ipsa scilicet cognoueris, quomodo hoc fiat.

Eodem libro.

In Vuitebergenſi  
editione Tom. 2.  
Germa. Folio 65.

facie 1.

In Ienensi editione  
Tom. 3. Ger. Fol.  
100. fac. 2.

**Q**uemadmodum nec Christus ipse, nec regnum eius alligata sunt ad loca, & alias res externas, ita omnia ea, quae ad hoc regnum Christi pertinent, (cuiusmodi sunt Euangelion, Baptismus, Coena dominica, & Christiani ipsi) libera sunt, & nulli loco alligata. Necessarium enim est, ut Euangelion sit ubique liberum, & in nullum peculiarem locum conclusum: neque enim ita vel Romæ, vel hic vel illic est, ut non sit etiam alibi. Eodem modo dicendum est de Baptismo & coena dominica. Non exigit necessitas, ut non nisi in templis Euangelion adnuncietur, baptisetur, et coena dominica sumatur, sed licet hoc, quicquid rei est, in quibusuis locis, ubiqueq; necessitas postulat, cōscire. Hinc autem non sequitur, quod Christus sit in sacramento, tanq; in certo loco, hic aut illic alligatus, sed quod tam ipse, quam sacramentum eius sint aut esse possint, in quovis loco libera. Quare cœlestes illi Prophetæ non certè transferunt dictum illud de regno Christi, ad sacramentum coenæ dominicæ, Nam si res ita se haberet, oporteret certè affirmari, quod nec Euangelion, nec Baptismus, nec coena dominica vspiam esset. In Euangelio enim Christus etiam præsens est coram, & tamē necesse est, ut tam voce, quam corpore sit in diuersis locis. Item oporteret Christum ne in cœlo quidem ad dextram Dei patris,

patris, esse, propterea quod tunc dici posset, Ecce hic est Christus.

Item, si carnales istorum Prophetarum cogitationes aliquid valerent, tunc sanctus Stephanus, cum diceret (Act. 7.) se videre Iesum stare, potuisset mendacij artus, propterea quod Christus, neque hic sit, neque illic. Imo & doctrina eorum de cognitione & commemoratione Christi nihil esset, cum necesse haberent unam in certo loco esse. Necessarium igitur est, ut illud dictum: Ecce hic Christus, ecce illic, intelligatur, primum de externis & corporalibus locis ac rebus. Deinde de talibus corporalibus locis, quae per pseudoprophetas peculiariter praetaliis seliguntur, & necessaria ad salutem iudicantur, ut non omnia loca maneant libera, quemadmodum hactenus nobis sub Papatu contigit. Nos vero non docemus, quod corpus & sanguis Christi sint in externis locis visibiliter, sed quod sint in sacramento invisibiliter. Nec dicimus, quod Christus necesse habeat & debeat in peculiaribus locis, ita includi, ut non sit ubiuis liber, sed quod possit & debeat, unam cum pane & vino, in omnibus locis, temporibus & personis liber esse.

### In sermone de sacramento coenæ dominice contra fanaticos.

**C**redimus, quod Iesus Christus sit, iuxta humanitatem, super omnes creaturem collocatus, & omnia bergensi, Tom. 2. impletat, quemadmodum Paulus ad Ephesios scribit: & Ger. Fol. 112. f. 2. quod Christus sit Dominus omnium rerum, non tantum secundum diuinitatem, verum etiam secundum humanitatem: ac habeat omnia in sua manu, & sit ubiuis praesens. Quare si sequendi sunt spiritus fanatici, qui dicunt, quod haec non sint rationi consentanea, negandus erit mihi Christus.

De

JOANNES BRENTIUS

De Stephano scribitur, quod dixerit, se videre cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Quomodo autem videt Christum? Non necesse habet oculos plurimum in altum attollere, Christus enim est circa nos, & in nobis ubique. De quibus rebus fanatici nihil intelligunt. Ac dicunt quidem, Christum sedere ad dextram Dei, nesciunt autem quid sit Christum in cœlum ascendere, & sedere ad dextram patris. Christus enim non ita ascendit in cœlum, quemadmodum tu solus scalis in domum ascendere, sed illud significat, quod sit super omnes creature, & sit in omnibus, ac exira omnes creature. Quod autem corporaliter assumptus est in cœlum, testimonium est maiestatis eius, quod nunc omnia multi magis ob oculos suos habeat, quam ego te coram habeam; & quod sit nobis propior ac præsentior, quam vlla creatura sit alteri. Fanatici autem interea sic imaginantur, perinde ac si Christus necesse haberet ascendere & descendere de cœlo, per aërem, & sineret se, cum suscipimus corpus eius edendum, in partem detrahere. Tales imaginationes non aliunde veniunt, quam ex stulta ratione, & carnalibus cogitationibus. Nostra verba, quæ nos loquimur, non necesse habent Christum ad nos detrahere, sed data sunt nobis ad confirmationem, ut sciamus, quod certo eum inueniamus. Etsi autem Christus ita est in omnibus creature, ut possem eum in lapide, in igne, in aqua, denique in laqueo inuenire (non enim dubium est, quin ibi sit) tamen non vult, ut ego ipsum ibi abscipio suo verbo quæram, & me vel in ignem aut aquam coniiciam, vel me laqueo suspendam. Vbique quidem est, non vult autem ut ubique eum palpando quæras, sed ubique est verbum eius, ibi suscipias eum palpandum, & tunc quidem recte eum apprehendes, alioqui tentabis Deum, & inservias.

& institues idolomaniam. Proposuit igitur nobis certum modum, videlicet verbum suum, quod & ubi debeatum ipsum querere & inuenire.

In libro cui titulus est. Quod verba Christi: Hoc est corpus meum, &c. adhuc firma consistent.

**P**rimum sumamus in manus articulum fidei, Christi. In Exemp. Vuitensis. stus sedet ad dextram Dei, quem articulum arbitrantur fanatici. ferre non posse, ut corpus Christi sit in Tom. 2. Germ. folio coena. Cum autem querimus, quid per dextram Dei, In Exemp. Ienensis. ad quam Christus sedet, intelligent, existimo eos de ioh. Tom. 3. Germ. folio culari quopiam caelo nobis blateraturos, quale solet 390. fol. 1. pueris commemorari, in quo sit collocatus thronus aures, in quo & Christus prope patrem ornatus pallio chorali, & aurea corona, sedeat, quemadmodum pictores solent pingere. Nisi enim tam pueriliter & carnaliter de dextra Dei cogitarent, certe non tantopere ex praesentia corporis Christi in coena perturbarentur, nec moraretur eos illud Augustini dictum: Corpus Christi in uno loco esse oportet, veritas autem eius vbiq[ue] diffusa est: cum tamen nec Augustino, nec vlli alteri alias fidem habeant. Ex his puerilibus imaginationibus sequi necesse est, quod alligent etiam Deum ipsum in caelo ad certum locum, & collocent eum in aureo illo throno. Non enim est Deus extra Christum, & ubi Christus est, ibi omnino tota & perfecta est Deitas. Sicut & Paulus ait: In ipso habitat plenitudo Deitatis corporaliter. Et Ioannis 14. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me: Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Non credis, quod pater in me sit, & ego in patre: Ex his vterius sequitur, quod & nos & omnes

Hanes

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA

ties creature in illo Dei throno sedeamus, sortassis quemadmodum pediculi & culices in pallio suo chorali. Sicut Paulus Acto. 17. ait. Ipsius genus sumus. Et: in ipso viuimus, mouemur & sumus.

Requirimus vltra, vbi sunt illa scripturæ testimonia, quæ sic dexteram Dei in unum locum coarctent. Respondent, bone Deus, An non satis testimoniorum scripturæ habemus? Es ne cæcus, an non vides, quot dictis scripturæ nostri libri sint reserti? Certè, video vos vatos esse blaterones. Audio quidem multum clamoris, & plurimum vociferationis, vbi non est necessarium, de spirituali, exempli gratia, mandatione, de sessione Christi in coelo, de commemoratione eius in coena, & de alijs id genus rebus, de quibus nemo vos interrogat. Ibi vester Cœcysmus se se prodit, ibi multa scripturæ testimonia habetis. Vbi autem necessarium est, ibi solletis taciti præterire, & estis tamen muti, quām trunci; intererea tamen somniatis vniuersam scripturam à vestra opinione stare, sicut & Salomon Cap. 5. Ecclesiastæ affirmat, illud in hoc mundo visitatum esse, quod quæ nobis sunt curæ, & de quibus afficiuntur, de ijs somniamus. Et Virgilius: Qui amant, sibi somnia singunt. Quem etiam affectum, nemo potest eis eximere. Quid est ergo, quod tam incogitantes suis, vt cum scriptura tam copiole doceat de dextera Dei, non prius expendatis, num scriptura testificetur, an non, quod dextra Dei sit peculiaris locus? Nunc autem ea estis incogitantia, vt cum collocetis in vano somnio tam magnam, periculosa & fanaticam opinionem, audeatis tamen iactare, vos multis scripturæ testimonijis esse munitos. Et quia voluptati vobis est, in hac chorea saltare, existimatissima omnia Musicorum instrumentorum genera ē coelo pendere, atq; adeo, quilibenter, sicut dici solet, saltat,

est, is vel tenuissima fistula excitatur: ita postquam vobis arridet, quod Christus sit in celo, & non in coena, facile persuadet vobis dictum Augustini, ut sentiat, dexteram Dei esse locum quendam in celo, qui tamen alioqui ad omnia patrum dicta tam stupidi & immot estis, ut etiam si uno omnes ore aliquid affirment, vos tamen eos illud negare iactatis, existimantes interea, neminem cognoscere, quid sit, quod in rebus non necessarijs multa scripturarum testimonia reciteris, in rebus autem necessarijs, ne sota quidem, sed vestra tantum somnia in medium producatis.

Scriptura autem docet nos, quod dextera Dei non sit peculiaris locus, in quo, tamquam in aureo throno corpus sit, aut esse possit, sed quod sit omnipotentia Dei, quae etsi nusquam esse potest, tamen in omnibus locis sit, necesse est. Nusquam (dico) in loco aliquo esse possit, quia si in aliquo loco esset, necesse haberet in eo loco sensibiliter & circumscripтив esse. Omne enim quod est in aliquo loco, necesse est in eo loco ita concludi, & circumsciri, ut interea in nullo alio loco esse possit. Potentia autem Dei, nec potest, nec debet hoc modo includi & circumscribi, quia est incomprehensibilis & incircumscripabilis, extra & supra omne quod est, & esse possit. Econtra autem necesse habet, in quovis loco, ac in minutissimo etiam folio essentialiter praesens esse. Deus enim ille ipse est, qui omnipotentia & dextera sua omnia creat, operatur, & conseruat, quemadmodum in symbolo fidei nostrae confitemur. Nam si suscipit aliquid creandum aut conseruandum, non emitit viarios aut Angelum, sed quod creat & conseruat, hoc omne est proprium suae ipsius divinae potentiae opus. Si autem creat & conseruat, certe necesse habet praesens esse, & creaturam suam tam in intims, quam in

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA.

extimis condere atq; conseruare. Necesse igitur habet ipsem in cuiusvis creaturæ intimis, extimis, circum circa, per omnia, infrà, & suprà, antè & retrò, prestò adesse, ut in omnibus creaturis nihil possit esse, aut præsentius, aut magis intimè, quām Deus ipse vñā cum sua potentia. Ipse enim est, qui facit cutem. Ipse est, qui facit ossa. Ipse est, qui facit crinem in cute. Ipse est, qui facit medullam in ossibus. Ipse est, qui facit vnam quamvis particulam crinis. Ipse est, qui facit vnam quamvis particulam medullæ. Ipse certè est, qui omnia, videlicet tām partes, quām totum facit. Si autem omnia facit, fieri non potest, quin & manus eius, qui hæc facit, præsto adsit.

Hæc nunc certissimis scripturæ testimonij confir matur. Esa. cap. 66. ex Gen. 1. Nonne hæc omnia manus mea fecit? Et psal. 139. Quò ibo à spiritu tuo, et quò à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Si sum plesso mihi alas auroræ (quæ certè magnæ sunt alæ) quippe quæ dividiam partem huius mundi impleant, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Quid multa dicamus scriptura adscribit dexteræ Dei, omnia opera & miracula eius. Act. 2. Christus dextera Dei exaltatus est. Psal. 118. Dextera D O M I N I facit virtutem, dextera D O M I N I exaltat me, dextera D O M I N I facit virtutem. Act. 17. Deus non longè abest ab uno quod nostrum, in ipso enim vivimus & mouemur & sumus. Rom. 11. Ex ipso, & per ipsum, & in ipsis sunt omnia. Hiere 23. Putas ne Deus ē vicino ego sum, dicit D O M I N V S, & non Deus de longe? Nunquid non cœlum & terram ego impleo? Esa. 66. Cœlum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum.

No

Non dicit, particulam coeli esse, sedem suam, & particu-  
lam aut vnum aliquem locum terræ esse scabellum pe-  
dum suorum, sed quicquid, & vbi cunctæ fuerit cœlum,  
ibi est ( inquit ) sedes mea, siue sit cœlum infra siue su-  
pra, siue prope terram, & quicquid aut vbi cunctæ fuerit  
terra, siue sit in profundo maris, siue in sepulchro mor-  
tuorum, siue in medio terræ, ibi est scabellum pedum  
meorum. Cogita nunc mihi, vbi sit caput, brachium,  
pectus, corpus, si calcaneo suo terram, & coxendicibus  
suis cœlum impleat. Longissimè, longissimè inquam,  
protenditur supra & ultra mundum, supra cœlum &  
terram. Quid ergo sibi aliud vult Esaias hoc dicto,  
quam quod & diuus Hilarius de eo ait, Deum esse v-  
biq; essentialiter præsentem, in omnibus, & per omnes  
creaturas, in omnibus earum particulis & locis, ut mun-  
dus plenus sit Deo, & Deus omnia impleat, & tamen  
non concludatur aut circumscribatur a mundo, sed sit  
etiam supra & omnes creature. Hæc omnia sunt om-  
ni modo incomprehensibilia. Et tamè sunt articuli no-  
stræ fidei, qui habent certa & perspicua scripturæ te-  
stimonia. Ac profecto, præ his pusillum videtur, quod  
corpus & sanguis Christi simul sint in cœlo & in coena.  
Quod si fanatici susciperent illa sua ratione & oculis  
inuestiganda, facile fieri posset, vt negarent ea sic se ha-  
bere, adeoq; pro ingenio impiorum dicerent, Non est  
Deus. Psal. 14. Quomodo enim humana ratio ferre  
potest, quod diuina maiestas sit essentialiter in granu-  
lo, ad granulum, supra granulum, per granulum, intus  
& astra præsens? & quanquam vnicæ tantum sit ma-  
iestas, possit tamen omnino tota esse in singulis, quo-  
rum sunt innumerabilia. Certum enim est, quod creet  
singula granula, & singulas earum particulas, intus, &  
vndiq;. Itaq; necessarium est, quod potentia eius illæ sit

## D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA

vndiqz, tam in granulo, quam apud granulum. Potentia autem eius unica est, & unius modi, nec inter se ita diuiditur, ut creet putamen granuli digitis, medullam autem in granulo pedibus sed tota diuina potentia nescie habet in granulo, & apud granulum undequaq; esse. Ipse enim solus omnia creat. Econtra autem easdem maiestas tam magna est, ut nec hic mundus nec mille mundi eam comprehendere possint, & dicere, ecce hic est.

Respondeant igitur nunc fanatici, Corpus habet aliquam proportionem cum corpore, & possunt inter se conuenire, sicut dicitur, panis est corpus, vinum est corpus, caro Christi est corpus. Hic potest alterum in altero esse, sicut ego possum esse in aere, in vestimento, in domo, sicut & pecunia in marsupio, vini in cantharo aut vase. Illic autem non est corpus, sed spiritus, in quo quis sit, quid illud sit, quod Deus dicitur? Ceterè excellit corpus, spiritum & omnia, quæ dici, audiri, & cogitari possunt. Quomodo potest talis res omnino tota simul vbiq; in singulis corporibus, creaturis, & substantijs praælens esse, & è contra esse extra & supra omnes creaturas & substantias, nusquam tamen nec debeat, nec possit esse, sic enim & nostra fides, & scriptura de Deo, testificantur. Hic humana ratio simpliciter concludat, necesse est, quod quæ de hac re dicuntur, nugæ sint, & pura puta mendacia.

Si ergo Deus inuenit aliquem modum, quo diuina sua essentia possit omnino tota esse in omnibus, & singularis creaturis, idq; multò altius, profundius, et præstansius, quam ipsi sibi est creature, & tamen interea nullus nec in villa creatura circumscribi possit, aut debeat, ut ipse quidem omnia circumscrivat, & in omnibus præstò adsit, nullum autem eorum ipsum circumscrivat, & in

In ipso præstò adsit: qui fieri posset, quòd non etiam aliquem modum sciret, quo corpus suum in multis simul locis omnino totum esset, & tamen non esset quicquam eorum, in quibus est, locorum? O nos miseros hominum filios, qui solemus de Deo & operibus eius, iuxta nostram rationem iudicare, perinde ac si esset sutor, aut mercenarius.

Sed obiecunt. Credimus quidem, quòd potentia Dei sit vbiqz: hinc autem non sequitur, quòd diuina eius essentia, aut dextra eius, sit vbiqz. Respondeo. Credo & ego, quòd in recessu & latebris cordium vestrorum nihil quicquam nec de Deo, nec de potentia eius credatis. De qua te etiam certus sum. Ac fieri potest, ut omnia haec illustria scripturae dicta, quæ hic recito & explico, contemptim prætereatis, ac fastidiosè dicatis. Quid? Non loquitur, nili de granulis, & arborum folijs, nullum autem scripturae testimonium assert: deinde aus tem effutatis aliquid de vestra tolerantia, aut de alijs rebus impertinentibus. Talia enim soletis nobis loco scripturae obtrudere.

Nos vero scimus quòd illa omnia, videlicet, Dei potentia, brachium, manus, essentia, facies, spiritus, sapientia &c. planè idem sint. Nam extra creaturam nihil aliud existit, quam ipsa unica & simplex diuinitas. Et cum potentia & manus Dei fuerit, procul omni dubio, ante creationem, manifestum est, quòd post creationem rerum non sit mutata in aliud. Nihil enim creat, nisi per verbum suum, Genes. i. & Ioannis i. Hæc est potentia eius, & potentia eius non est nec securis, nec bipennis, nec serra, nec lima, per quam operetur, sed est ipse met. Si ergo potentia & spiritus eius est vbiqz, & in omnibus rebus, idqz intimè, extimè, ex omniparte presens, (quod necessarium est, ut sic se habeat, quandoquidē ipse

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA

ipse omnia ubiqꝫ creat & conseruat) certe perspicuē sequitur, quod & diuina dextra, essentia & maiestas eius ubiqꝫ sit. Fieri enim non potest, quin cum omnia creet atqꝫ conseruet omnibus præstō adsit. Et ut aliquid auctoritat̄ vice addā, probabo illud exemplo & facto, quod scriptura ipsa recitat. Nostra fides tenet quod Christus sit essentialiter & naturaliter verus Deus , & quod inhabitet in ipso omnis plenitudo Deitatis corporaliter, sicut Paulus Colos. 2. scribit ) ut extra Christum prolsus nullus sit nec Deus , nec Deitas , quemadmodum ipse ait, Ioannis 14. Philippe, qui videt me , videt & patrem meum. Non credis, quod pater in me , & ego in patre sim? Hic nunc vide mihi, Christus ambulat in terra , & tota Deitas est in ipso essentialiter & personaliter, in hac terra. Dicito ergo mihi, quomodo virumq; verum esse possit, quod Deus totus sit in Christo essentialiter & personaliter præsens, in terra , in vtero matris, in præsipi, in templo, in deserto , in ciuitatibus , in domibus , in hortis, in agris, in cruce , in sepulchro &c. & tamen interiora sit etiam in cœlo, in sinu patris? Si autem hoc iuxta nostram fidem, irrefutabiliter verum est, quod Deitas ipsa sit in Christo super terram, in tot locis, essentialiter & personaliter præsens , & tamen simul etiam sit in cœlo, & cum patre, perspicuē sequitur, quod sit etiam ubiqꝫ, & quod cœlum ac terram , & omnia sua propria natura & maiestate essentialiter & personaliter impletat , iuxta dictum Hieremias Cap. 23. Cœlum & terram ego impleo . Et: sum Deus ē vicino. Et Psal. 139. Quo a facie tua fugiam.

Accedit & illud, quod cum Christus filius Dei concipiendus esset in vtero matris , & incarnandus , fieri non potuerit, quin procul dubio antea in vtero virginis essentialiter & personaliter præsens adfuerit , & ibi huma-

humanam naturam assumpserit. Deitas enim quod ad seipsum attinet, est immobilis, nec vagatur de loco in locum, quemadmodum creaturæ. Quare in incarnatione sua non descendit, tanquam in scala, de cœlo, nec demisit se deorsum, tanquam in funiculo, sed erat antea essentia & personaliter præsens in utero virginis, sicut & in omnibus alijs locis ubique, iuxta diuinam eius natum, proprietatem et potentiam. Si ergo est in uno loco, (ut in utero virginis) essentialiter, ac sua propria persona præsens, & tamen etiam apud patrem suum in cœlo, quemadmodum nostra fides testificatur, certissimum est, quod sit eodem modo in omnibus locis. Nihil enim est, quod impedit, cur esset in utero virginis, & non posset esse eodem modo in omnibus locis.

Et tamen in Christo quiddam sublimius est, & excellentius, quam in omnibus alijs creaturis. In ipso enim est Deus, non tantum præsenter & essentialiter, sicut est in omnibus alijs rebus, sed inhabitat etiam in ipso corporaliter, ut homo & Deus una sit persona. Et quam de omnibus creaturis, verè dicere possum, illic est Deus, aut Deus est in illo, non possum tamen verè dicere, illud est Deus ipse. De Christo autem affirmat nostra fides, quod non solum Deus sit in ipso, verum etiam, quod sit ipse Deus. Et qui interficit hominem, potest de eo dici, quod sit intersector eius rei, quæ est Dei, & in qua est Deus. Qui autem interficit Christum, interficit filium Dei, adeoque Deum ipsum, & dominum gloriae. Quod ergo Deus non solum est in Christo, verum etiam ita in ipso habitat, ut Deus & homo una sint persona, hoc demum illud est opus & miraculum Dei, quod omnem humanam rationem stultam reddit, & sola fide comprehendi debet, alioqui comprehendendi non potest.

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA.

In hoc igitur loco loquimur tantum de priori præsentia, qua Deus ipse personaliter est in omnibus rebus, sine qua non potuisset homo, adeoq; ex Deitate & humanitate vna persona fieri. Necessarium enim erat, (sicut dictum est) ut antea præsens esset in utero matris, quemadmodum per se est in Deitate. Bone Deus, ubi nam illi sunt, qui hæc omnia credunt? Quid fiet, cum humana ratio in tantum mysterium fanaticis suis speculationibus irruperit? Tum certe longè tolerabilius erit fanatica de Sacramento cœnæ Dominicæ intemperies, Sed ut Deus manet inuolatus, ita & suos conseruabit.

Hic nunc euidenter & sufficienter comprobatum est, quod dextera Dei, non sit peculiaris aliquis locus, (quemadmodum fanatici somniant) in quo corpus Christi sedeat, sed sit ipsa Deipotentia: fieri enim non potest, ut dextera Dei sit creatura: sed necessariò quidam est, supra & extra omnes creature. Hoc autem nihil aliud est, quam Deus ipse, qui est ubiq; in omnibus rebus. Quare necessariò, & illud verum est, quod dextera Dei sit in omnibus rebus ubiq;, quemadmodum antea dictum est.

Omnino autem existimo, quod hic non contemptim prætereamus dicta scripturæ, sicut fanatici, nec quod de alijs impertinentibus rebus tractemus, sed quod ex veris & perspicuis testimonijis scripturæ, & articulis fideli comprebauerimus, & stabilierimus, dexteram Dei esse ubiq;: fanatici autem hac in parte succumbant, nec constare queant, cum dicunt eam esse peculiarem locum, sicut ex Augustino, carnalibus suis speculationibus applaudunt.

Instituamus igitur nunc mutuam collocutionem. Fiantur, quod Christus sit ad dextram Dei. Et hoc ariete existi-

existimant se expugnasse, quod non sit in coena. Hic est fortasse horribilis ille gladius gigantis Goliath, quo confidunt. Sed quid si vobis illum ipsum gladium è manus vestris extorqueremus, & eo caput vestrum amputaremus, adeoq; hoc ipso dicto, quo vos statuitis probare, quòd corpus Christi non sit in coena, nos probaremus, quòd necessario sit in coena? An non hoc esset verè Davidicum stratagema? Agite dum ergo, videte, & audite. Corpus Christi est ad dextram Dei, Hoc iam confessum est. Dextera autem Dei est in omnibus locis, Hoc necesse habetis, ex probationibus paulò ante recitatis confiteri. Certum igitur est, quòd etiam sit in pane & vino coenæ. Vbi autem est dextera Dei ibi necessario est etiam corpus & sanguis Christi. Dextera enim Dei non potest diuidi in multas partes, sed est una simplicissima essentia. Nec in articulo fidei dicitur, quòd Christus sedeat in una tantum parte, videlicet, in paruo digito, aut in vnguæ dexteræ, sed simpliciter dicitur, quòd sit ad dexteram Dei, ut quicquid, & vbi cunctæ est dextera Dei, ibi etiam sit Christus filius hominis.

Hoc significat etiam Christus ipse, quoties in Evangelio affirmat, quòd omnia tradita sint ipsi à patre, & omnia sunt subiecta sub pedibus eius, Psal. 8. Horum enim dictorum sententia est, quòd cum Christus sit ad dexteram Dei, nihil aliud significetur, quam non tantum ut filius Dei, verum etiam, ut filius hominis sit super omnia, & habeat in potestate sua omnia, eaq; gubernet omnia. Necesse igitur est, ut sit etiam prope, intra, & circa omnia, adeoq; in manu habeat omnia. Nam secundum Deitatem nihil est ei traditum, nec sub pedibus eius subiectum, propterea quòd omnia antea creauerit, & conseruet. Sedere autem ad dexteram

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA.

Nam idem est, quod gubernare, & habere potestatem super omnia. Si autem gubernat, & habet potestatem super omnia, certe necesse habet, per dexteram Dei, quæ ubique est, essentialiter praesens esse. Quid ergo hinc sequitur? Illud videlicet, quod etiam si Christus nunquam haec verba (Hoc est corpus meum) in coena dixisset, nec dicenda ordinasset, illa tamen verba (Christus sedet ad dextram Dei) necessariò concluderent, quod corpus & sanguis eius possint esse in coena, sicut & in omnibus alijs locis. Nec opus habemus hic villa transubstantiatione, aut mutatione panis in corpus suum, sicut nec necessarium est, ut Dextera Dei, etiam si sit in omnibus rebus, non tamen in eas mutetur. Quomodo autem hoc fiat, non est nobis perscrutandum. Fide hoc apprehendendum est, quandoquidem sacra Scriptura & articulus fidei nostrae hoc euidenter confirment.

Nos miseri peccatores, non sumus certe tam stupidi, ut credamus, quod corpus Christi sit in pane, crasso & visibili modo, sicut panis est in canistro, aut vinum in poculo. In quam suspicionem fanatici nos libenter vocarent, ut haberent, quo sibi de nostra stultitia blandirentur. Sed simpliciter credimus, quod corpus eius praesens sit, sicut verba sonant & significant. Hoc est corpus meum &c. Quod autem Patres & nos aliquoties dicimus, corpus Christi esse in pane, hoc sit simpliciter ad modum animo, ut his verbis fides nostra confiteatur, corpus Christi esse praesens. Alioqui enim bene possumus ferre, siue dicatur, quod sit in pane, siue quod sit panis, siue quod ibi sit, ubi est panis, siue aliter, pro cuiusque voluntate. Non mouebimus rixam de verbis, tantummodo vera sententia manet inviolata, videlicet, quod panis, quo in coena Domini vescimur, non simpliciter sit panis, sed sit etiam corpus Christi,

Cogitent

Cogitent etiam fanatici, quod Deus nouerit multos alios modos, quibus alteram rem in altera continet, quam crassum illum modum, quem ipsis nobis obiectiunt, sicut est vinum in vase, panis in canistro, pecunia in marsupio. Leui erat in lumbis Abrahæ, ut dicit Apostolus ad Hebræos, Et Scriptura describit omnes liberos in lumbis Patrum esse, & ex ijs oriri. Item, varia genera colorum, & lumen, ac quicquid est visibile, dicunt esse in oculis, ut hac ratione etiam cœlum & terra possint esse in oculo. Similiter omnia sunt in speculo, quæcunque ante ipsum constiterint. Item arbores & fructus sunt in granis & seminibus. Item omnia sunt in cordibus nostris, adeoque Deus ipse, quod non minus est miraculum, quam alia omnia. Quis ergo dubitarer, quin Deus habeat adhuc plures, quos non patefecit nobis modos, quibus alterum in altero continetur, aut duæ res simul sunt in uno loco?

Certe non minus est miraculum, quod multa corpora sint in uno loco, quam quod unum corpus sit in multis locis. Qui alterum efficere potest, is & alterum potest. Habemus autem perspicua scripturæ testimonia, quod Christus venerit ad discipulos suos, per ianuas clausas, & è sepulchro suo, per obsignatum lapidem. Siue ergo intrauerit per fenestram, siue per ianuam, certe corpus eius, & illud per quod se se intulit, & ut ita dicam intrusit, in uno simul loco, viracq; inviolata, & immutata fuerint, necesse est. Nec Euangelista dicit, quod viderint ipsum intrare, sed quod in medio ipsorum steterit. Hoc ita sonat, quasi antea præsens, sed abscondite, affuerit, & tunc se manifestauerit, sicut & factum est coram Maria Magdalena, apud sepulchrum, & coram omnibus ijs, quibus apparuit. Et Acto. 7. apparet sancto Stephano, in Concilio, stans à dextris Dei; similiter

MARTINI LUTHERI TESTIMONIA

Act. 22. apparet diuino Paulo in templo. Item Math. 17.  
apparet pater in nube, in monte Thabor. Item Luc. 3.  
apparet pater in voce, & spiritus sanctus in specie co-  
lumbæ. Tales & id genus aliæ apparitiones, quæ sâpe  
numero factæ sunt Prophetis. Apostolis & alijs sanctis,  
testificantur, quod Deus & Christus eius non sit longe  
à nobis, sed propè, vt aliud nihil queratur, quam ut re-  
uelentur. Non enim mouentur, suprà, infrâ, dextror-  
sum, sinistrorum, propterea quod Deus sit immobilis,  
& etiam Christus sedeat ad dexteram Dei, nec mouea-  
tur. Ad hæc dicit Christus, Ioan. 3. Nemo ascendit in cœ-  
lum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in  
cœlo. Quo certè dicto significat, quod corpus eius sic sis-  
tum in cœlo & in terra, adeoque iam tum fuerit in omnis-  
bus locis. Non enim factus est, per glorificationem su-  
am, alia persona, sed quemadmodum antea, ita & pos-  
Ita præfens est ubiqꝫ &c.

Et paulò post.

Proptera hæc dicta, fortassis inuident me alijs fanatici,  
qui me in verbis capere conabuntur, & dicent,  
quid si corpus Christi est in omnibus locis, agedum  
deuerabo & helluabor ipsum in omnibus hospitijs, ex  
omnibus scutellis, poculis & cantharis: Si enim nullum  
est discrimen inter meam, & Christi mensam, immare,  
quam egregie ipsum deuorabimus: Nos enim fuitiles  
Germani, sumus magna ex parte tam detestabiles por-  
ci, vt nec honestatis nec modestiae rationem habeamus.  
Et si quid audiuerimus de Deo, non aliter feremus reputa-  
mus, quam si essent ioculatorum fabulæ. His tempo-  
ribus vñitata sunt aduersus Sacramentum cœnæ domi-  
nicæ, in vulgo, qui doctrina fanaticorum sunt seduci-  
tam

tam abominanda dicta & facta , vt tolerabilius esset mortem suscipere , quam concionem ipsis diuulgandam scribere . Postquam enim audiunt à fanaticis , corpus Christi non esse in Sacramento , statim insurgunt . Ad quid , inquiunt , utile est Sacramentum ? Ne pro titillicio quidem reputarem . At qui officium politici Magistratus esset , tales blasphemos coherere . Ingens profecto est petulantia & temeritas , quod cum prorsus hanc rem non intelligas , tam praefacte tamen blasphemes . Et quia video haec vulganda inter canes & porcos , Deus nouit , quanto animi dolore de tā magnis & cœlestibus rebus scribam . Sed quid faciam ; fanatici , qui me huc per trahunt , necesse habebunt de hac re rationem reddere .

Audi ergo tu porce , canis , fanatici , aut quisquis fures , insulte asine , Etiam si corpus Christi sit in omnibus locis , non tamen tu statim ipsum vel deuorabis , vel hels luaberis , vel attinges . Nec ego tecum de his rebus colloquor , sed ablego te in haram tuam porcorum , aut in tuum sterquilinium .

Suprà dixi , quod dextera Dei sit quidem in omnibus locis , interea autem sit etiam nusquam , & sit incomprehensibilis , supra & extra omnes creature . Discri-  
men est inter suam præsentiam , & tuam attingentiam , Deus liber est , & non captiuus , vbi cunq; fuerit . Nec potest ita vinciri , ant catenis ligari , quemadmodum malefactor quispiam è publicis vinculis ostentatur . Considera mihi radios solis . His sunt tibi tam propinquai , vt perstringant tibi oculos , & cutem tuam quasi pungant , & tamen non potes eos manibus apprehendere , ac in cistulam includere , etiam si multū ac diu palpaveris . Impedire quidem potes , ne per fenestram splendent , palpare autem & apprehendere non potes . Idem de Christo sentiendum est , quod etiam si sit vbiq; presens , tamen

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA

tamen non sinit se pro tua libidine , tangi & apprehendi . Nouit enim se ita explicare , ut tu tantum putamen retineas , nucleus autem non apprehendas . Quid ita ? quia aliud est , Deum esse præsentem , aliud , Deum Tl<sup>o</sup> BI esse præsentem . Tunc autem tibi præsens est , cum addit verbum suum , & eo se se alligat , ac dicit . Hic me inuenies . Cum igitur habueris verbum eius , tunc potes eum verè apprehendere & tenere , ac dicere . Hic teneo te , sicut tu ipse affirmas .

Sed repetamus , quod de dextera Dei diximus . Etsi enī ea est vbiq<sup>z</sup> , quemadmodum nemo potest negare , tamen quia etiam nusquam est , sicut diximus , non potes eam verè apprehendere , nisi remittat te ad certum locum , & alliget se ad eum , tuæ salutis gratia . Alligat autem se ad humanitatem Christi , & inhabitat in ea , ibi tu certo eam inuenis . Alioqui fieri potest , vt percurras vndiq<sup>z</sup> omnes creature , ac nunc hīc , nunc illīc palpes , nusquam tamen eam inuenias , etiamsi verè p̄fō adsit , tibi autem ibi non adsit . Sic & , postquam humanitas Christi est ad dexteram Dei , ideoq<sup>z</sup> in omnibus , & super omnes res , iuxta naturam dexteræ Dei , fieri non potest , vt ita eum deuores & hellueris , sicut brassicam aut offam in tua mensa , nisi ipse hoc tibi volens permittat . Factus enim est incomprehensibilis , nec capies eum , etiamsi fuerit in tuo pane , nisi se tibi alligauerit , & remittat verbo suo ad peculiarem mensam , & ostendat ipse tibi panem , quo eum edas . Id quod in cœna sua fecit & dixit . Hoc est corpus meum . Quasi diceret , Potes quidem etiam domi tuae panem edere , vbi ego absq<sup>z</sup> dubio satis propè adsum , Illud autem verum est m<sup>m</sup> , videlicet . Hoc est corpus meum . Cūm hoc ederis , tum edis corpus meum , alias non edis . Quid ita ? quia hīc alligo me per verbum meum , vt non hinc inde vacilles ,

Vacilles, & non me in omnibus locis, in quibus sum,  
quæras. Hoc enim tibi nimis difficile esset, & tu imbe-  
cillior es, quām ut possis me illic absq; meo verbo ap-  
prehendere &c.

Ah quām pauci sunt, etiam inter doctissimos, qui  
vñquam hunc articulum de Christo, tam exactè expen-  
derunt, aut crediderunt. Imperscrutabile enim est, quòd  
Deus sit homo, & homo sit Deus. Sed scriptura hoc tes-  
tatur, & fides agnoscit esse certissimam veritatem &c.

### In Confessione Martini Lutheri de cœna Domini.

**M**Arci vltimo dicitur : Dominus Iesus assumptus vuit. Tom. 2 Ger.  
est in cœlum. Item : Relinquo mundum & vado folio 178. fa. 1.  
ad patrem. Et Ioan. 17. iam non sum in mundo, ipsi au<sup>r</sup> in Ienensi, Tom. 3.  
tem sunt in mundo. Et reliqua id genus dicta, quibus Ger. fol. 490. fa. n  
prædicatur Christus in cœlo esse. Agedum igitur, hæc  
nos quoq; credimus, & confitemur, nec fuisset necessa-  
rium, vt nos de hac re erudiremur. Sed illud fuisset ex-  
plicatu necessarium, quòd cum Christus sit in cœlo, nō  
possit corpus eius esse in cœna. Si ergo probarent, quòd  
hæc inter se pugnarent, tunc facile possemus intelligere,  
quòd dicta illa essent contraria nostræ sententiæ. Nunc  
autem pergunt nos semper, multa loquacitate docere  
ea, quæ non ignoramus : quæ vero docenda exigimus,  
ea silentio satis industrie prætereunt. Necesse igitur ha-  
bemus in sententia nostra perseverare.

Cæterum, quid sit in mundo esse, explicat Christus  
ipse Lucæ vliimo, cum ait. Hæc sunt verba, quæ locu-  
sus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum. Quid: an  
non est cum discipulis? & tamen sumit vnâ cum ipli cœ-  
bum, postquam resurrexisset à mortuis. Sed re vera

K non

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA.

non est amplius cum ipsis eo modo, quo antea cum ipsis fuerat, videlicet morti obnoxius, & rerum huius mundi indigens. Sicut & Paulus i. Corinth. 15 de corpore animali & spirituali loquitur. Ex hoc autem probari non potest, quod ob eam causam non sit corporaliter praesens. Sedebat enim, quemadmodum dictum est vna cum ipsis, vna sumebat cibum, & loquebatur cum ipsis, & tamen non est in mundo. Eodem modo dicendum est de illo dicto. Pauperes semper habentis vobiscum, me autem non semper habebitis. Quid hoc loco significet (vobiscum) textus ipse declarat, & facile intellectu est, videlicet, quod non sit nobiscum, eo modo, quo pauperes sunt nobiscum. Idem respondendum est ad reliqua omnia similia dicta, quae recitare solent, videlicet, quod Christus non sit nobiscum eo modo, quo pauperes, mortalis & mundanus,

Eodem libro.

Vuit. Tom. 2 Ger.  
folio 179. fa. 1.  
Ienensi Tom. 3.  
Ger. fol. 491 fa. 1.

C Olof. 3. Si consurrexitis cum Christo, quæ sursum sunt, querite, ubi Christus est in dextra Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Hic, hic vos carniuoræ & sanguinifuge animum aduertere. Hic audite, quod corpus Christi non sit querendum in Sacramento, Sacramentum enim est in terra, Christus autem est supra in cœlo.

Hoc in loco videtur phanatico huic spiritui superueras caneum esse, ut ostendat nobis, quid apud Paulum significet (super terram) cum tamen verus filius dicti sensus in explicatione huius vocabuli sicrus sit. Sed temere & inconsiderate eò prorumpit, quod ipsum vanitas spiritus sui trahit. Si ergo dixero, cur ipsi audiant concionem Euangeli, cur celebrent coenam Domini, cur diligant

diligant proximum, & benefaciant ei : cur honorent parentes ? cur obedient magistratui ? cur habeant seruos ? quid respondebunt ? An non haec omnia sunt super terram ? Age igitur, non queramus illa, nullum honoremus, nulli obediamus, nulli seruiamus, nullum diligamus. An non hoc lepidum est ? An non haec omnia sunt super terram ? Et Paulus dicit, non esse quaerenda ea, quae sunt super terram. Sequitur ergo, Apostolos pessimè egisse, quod secuti sint Christum, eò quod fuerit super terram : sed & Christus ipse venit super terram, & Paulus concionatur & visitat Christianos hinc inde in terra dispersos. Quid nunc tibi videotur ? An non appositi dictum Pauli allegarunt ? sed haec tenus bene assuetissimus Iudibris Satanae, solet enim nos ridere, & prepotenti sua arrogantia nos indigniores iudicare, quam quibus respondeat : quod non ignorat se, etiam si nihil firmi respondeat, multos tamen discipulos vanis suis Iudificationibus consecuturum. Agnoscimus igitur irrisiones eius, ac viciissim insultamus in eum, ut nostram sententiam, si potest, refutet, adeoq[ue] hec fidei nostrae confirmatio est, quod aduersus nostram sententiam nihil afferre queat, praeter effrenatas & impotentes suas Iudifications. Cum ergo Paulus dicit : Quæ sursum sunt sapte, non quæ super terram, intelligit per hanc dictionem (super terram) terrenam vitam, quemadmodum mundus solet ducere vitam, in scortatione, & in omnigenere scelerum. Loquitur enim de mortificatione veteris Adami, ut sunt verba eius aperta & perspicua. Mortui, inquit, estis, & vita vestra est abscondita cū Christo, in Deo. Ac mox : Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciem, libidinem, concupiscentiam malam, avaritiam &c. Hic audis, quod Paulus hoc

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA.

vocabulo (super terram) intelligat veterem terrenam vitam , iuxta veterem Adamum , sicut solet mundus , absc̄ spiritu Dei vitam ducere , hæc enim est veteris Adami vita. Sed hæc (inquit Paulus) non quæramus. Debemus enim huic mundo , & terrenę vitę , cum Christo mortui esse , & deinceps cœlestem vitam in Christo ducere. Quare iuxta hoc Pauli dictum affirmamus a lacri animo , quòd nostra Sacra menta non sint super terram , nec nos ea super terram quæramus. Quòd si Sathan probauerit , nos nostra Sacra menta , & corpus Christi , in numero fornicationis , auaritiae , inuidiae , & aliorum scelerum habere , tum fatebimur nos peruersè agere , quòd quæramus Christum super terram. Quòd si vero hoc non fecerit , accusamus eum manifesti , & satanici mendacijs : ac præterea affirmamus , eum blasphemia afficere diuum Paulum , quòd vociferatur corpus Christi esse super terram , cum est in Sacramento. Paulus enim non sic vtitur vocabulo (super terram) sicut dictum est.

Eodem libro.

Vult. Tom. 2. Ger. I Llud ego vrgebam , vt firmis rationibus probarent .  
fol. 182. fa. 1. cur verba illa , Hoce est corpus meum , falsa essent iuxta literam , etiam si Christus sit in cœlo , cum potentia  
In lenensi. Tom. 3. Dei nobis sit ignota , & possit Deus modum quendam  
Ger. fol. 494. fa. 2. excogitare , quo vtruncq; verum sit , videlicet , Christum esse in cœlo , & corpus eius esse in coena. Hæc erat præcipua quæstio , hanc cupiebam mihi explicari , hic notatis etiam maiusculis literis exigebam , vt ostenderent , quomodo hæc duo inter se pugnarent. Hic magis mutus est , quam pescis. Huius rei nulla fit ab ipso , ne una quidem litera , mentio , perinde acsi nihil prorsus ad ipsum

sum pertineret. Interea autem euomit, nescio quæ de sua Alloeoſi. Nam quod ego ſuscipiebam probandum, corpus Christi eſſe ubiqꝫ, eo quòd dextra Dei ubiqꝫ eſſet, illo feci conſilio (quemadmodum eo loco clare teſtificatus sum) ut vnum ſaltem modum oſtenderem, quo Deus efficere poſſet, ut Christus ſimul in cœlo, & corpus eius in coena eſſet: & interea reſeruabam diuinæ ſapientiæ & potentiarum alios quoqꝫ modos, quibus id efficere poſſet, quandoquidem nos nec ſinem, nec modum potentiarum eius cognoscamus. Quare ſi aut voluiffent, aut potuiffent respondere, debuiffent firmis rationibus probare, quòd Deus nec ſciat, nec poſſit aliū habere modum, quo Christus ſimul ſit in cœlo, & corpus eius in coena. Hic eſt nodus ille, qui fuiffet ſoluendus. Sed hunc boni ſcīlicet viri fortiter transiliunt. Non enim neceſſe habuiffent docere nos de modo illo viſibili, quo cœlum, ſecundum iudicium oculorum, eſt ſuprà, & coena infra ſupra terram. Non certe tam ſtupidi ſumus, vt ignoremus, quòd iuxta ſenſum oculorum, non poſſit eſſe ſuprà, quod eſt infra, & econtra. Hoc enim fit huſmano & viſibili modo. Verbum autem & opera Dei non ſunt definienda ſenſu noſtrorum oculorum, ſed ſunt humanae rationi, imò Angelis etiam iſpis incomprehensibilia. Adhac, Christus, nec eſt in cœlo, nec in coena viſibili modo, & ſicut carnales oculi iudicant de rebus, in diuersis locis.

## Eodem folio facie II.

**R**E ipsa comperit Satan, quòd non poſſit eum moſi tenēſes folio 495.  
dum præſentię Christi in cœlo & corporis eius in fa. 1.  
coena, quem explicuimus, refutare. Tumultuatur ergo  
vanis blateramentis, ut abducat nos ab iſtituto, ac in-

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA

terea multam iactat rerum cognitionem , quam nemo  
requirit. Eisi enim posset (quod tamen non potest) eum  
præsentia modum, quem indicaui, refutare, tamen pro-  
positum suum nondum consecisset, quia nondum pro-  
basset, quod hæc duo , Christus est in cœlo , & corpus  
eius in coena, inter se pugnant. Necesse habet (inquam)  
probare, quod non solum modus ille præsentia, de quo  
diximus, inutilis sit, verum etiam quod Deus ipse nec  
sciat, nec possit alium habere modum , id quod etiam in  
priori libro vrgebam. Interea , dum hoc non præstites  
sit, asseueramus nos, quod Deus sit omnipotens, & plus  
ra efficere possit , quam nos sensibus nostris percipia-  
mus . Credo igitur verbis eius, & sequor eam sententia-  
m, quam ipsa verborum litera tradit.

Eodem libro.

Vuit. Tomo 2. Ger. folio 184. f4.1. **V**ociferantur aduersum nos , quod confundamus duas naturas in vnam essentiam. Hoc non est ve-  
rum. Non enim dicimus, quod Deitas sit humanitas,  
Ienen. Tom. 3. Ger. folio 496. f4.2. aut quod diuina natura sit humana natura , id quod es-  
set duas naturas in vnam essentiam confundere: sed co-  
iungimus duas distinctas naturas in vnam personam,  
& dicimus, Deus est homo , & homo est Deus. Vici-  
sim autem vociferamur aduersus ipsos, quod personam  
Christi diuidant, perinde ac si essent due personæ. Nam  
si Allœolis habuerit hic locum, sicut Cinglius ea vtitur,  
certè sient ex Christo duæ personæ, altera diuina, altera  
humana , Quæ enim de passione Christi dicuntur, ea  
tribuit humanæ tantum naturæ . & adimit ea omnino  
Deitati. Nam ubi opera sunt diuisa & distincta, ibi per-  
sona diuidatur, necesse est, propterea, quod omnia ope-  
ra seu passiones , attribuantur non naturis , sed perso-  
nis.

nis. Persona enim illa ipsa est , quæ omnia operatur , & patitur alterum quidem iuxta hanc , alterum autem iuxta illam naturam , id quod doctis optimè notum est . Arbitramur igitur Christum Dominum nostrum sic esse in una persona Deum & hominem , ut nec naturas confundamus , nec personam diuidamus .

## Et mox .

**I**Tem , cum non probent , quòd dextra Dei sit peculia : ris locus in cœlo , tunc manet adhuc firmū & stabile , quod antea ostendi , videlicet , corpus Christi esse ubiqꝫ . Propterea quòd sit ad dextram Dei , quæ est ubiqꝫ . Nec est mirum , quòd nesciamus quo modo hoc fiat , cum nesciamus etiam , quo modo fiat , quòd dextera Dei sit ubiqꝫ . Non est dubium , quin non sit is modus , quo nos corporalibus oculis rem quandam alicubi esse videmus , quemadmodum fanatici Sacramentum aspiciunt . Deus autem tantæ est industrie , ut sciat alium modum ex cogitare , quo res sic se possit habere , adeoꝫ sic sese habeat , donec fanatici diuersum probauerint .

Quanquam enim Alloëosis firma consisteret , quod altera natura pro altera acciperetur , hoc tamen pertinet tantum ad actiones seu operationes naturarum , non aut ad naturarum essentiam . Etsi etiam in actionibus , cum dicatur ( Christus cōcionatur , bibit , orat , moritur ) posset Christus pro humana natura accipi , tamen hoc fieri non potest in essentia , cum dicatur , Deus est homo , vel homo est Deus . In hac locutione non potest esse Alloëosis , ac ne quidem Synechdoche , vel alias quispiam tropus . Ut enim ibi Deus pro Deo , homo pro homine accipiatur , necesse est . Ego vero cum scriberem : Corpus Christi ubiqꝫ esse , non tractabam de actionibus naturarum ,

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA

naturarum , sed de naturarum substantia seu essentia. Quare nec Alloëosis , nec Synechdoche potest hoc refutare, quia vniuerscuiusq; rei essentia , vere est pro se essentia, nec accipitur altera pro altera. Et qui suscepit hoc refutandum , non adducat , nec Alloëoses , nec Synechdochen, nec alios Tropos, nihil enim in hoc proposito efficient, sed necesse habent fundamenta vera, quibus insisto, refutare. Mea autem fundamenta , quibus confido, hæc sunt: videlicet. Primum , est articulus nostræ religionis. Iesus Christus est essentialiter, naturaliter, & verè perfectus Deus & homo , in unitate personæ, indivise & inseparabiliter. Secundum, quod dixerat Dei sit ubiq;. Tertium , quod verbum Dei nec falsum sit nec mendax. Quartum, quod Deus nouerit & habeat varios modos seu rationes, quibus possit alicubi esse , & non tantum eum modum , de quo Fanatici ioculantur, & quem Philosophi vocant localem &c.

Eodem libro.

Vuit. Tom. 2. Ger.  
folio 185. fa. 2.  
Ienen. Tom. 3. Ger.  
folio 498. fa. 2.

**V**T reuertar ad propositum,cum nostra fides teneat,quod Christus sit Deus & homo , & quod duæ naturæ sint vna persona, nec possit hæc persona diuidi, dubium non est , quin possit sese iuxta corporalem & sensibilem modum , in quocunq; loco libet , manifestare , sicut & manifestauit se , postquam à mortuis resurrexisset , & manifestabit se in extremo die. Sed præter hunc modum , potest etiam altero incomprehensibili modo vti, sicut ex Euangelio probauimus , quod exierit è sepulchro per obsignatum lapidem, & intrauerit in domum, per ianuas clausas. Postquam autem talis est homo , qui sit supernaturaliter vna persona cum Deo, nec sit extra hunc hominem Deus , necessariò sequitur; quod

quod etiam iuxta tertium supernaturalem modum, sit & possit esse, vbi cunctus est Deus, ut omnia undequaque plena sint Christo, etiam secundum humanitatem, non quidem iuxtra primum corporalem sensibilem, sed iuxta supernaturalem & diuinum modum. Necesse enim habes confitenti & dicere, quod Christus secundum Deitatem, vbi cunctus est, ibi sit naturalis & diuina persona, ac ibi quoque naturaliter & personaliter praestò adsit, id quod conceptio eius in utero materno testificatur. Nam, si debuit esse filius Dei, necesse habuit naturaliter & personaliter in utero matris esse, & homo fieri. Si ergo naturaliter & personaliter est, vbi cunctus fuerit, necesse habet ibi etiam homo esse. Non enim sunt duas diuisae personae, sed una tantum persona. Vbi cunctus ea fuerit, ibi unica & indiuisa est persona. Et vbi cunctus dixeris, hic est Deus, ibi necesse habes dicere, hic est Christus homo. Ac vbi cunctus demonstrares locum, in quo esset Deus, & non homo, certe mox sequeretur, diuina esse personam, quia tunc vere affirmare possem, quod hic esset Deus, qui non esset homo, nec unquam factus esset homo. Absit autem à me, ut tales Deum agnoscam. Ex hoc enim sequeretur, quod spacia & loca duas naturas à se inuicem separarent, & personam diuiderent, cum tandem ne mors quidem ipsa, ac ne diaboli quoque omnes postuerint hanc personam diuidere, & à se inuicem discerpere. Ac profecto Christus non esset magne admodum aestimationis, si in unicó tantum loco esset simul diuina & humana persona, in alijs autem omnibus locis necesse haberet nudus tantum & separatus Deus, ac diuina persona, absque humanitate esse. Non sic, bone vir, sed vbi cunctus tu mihi Deum collocaueris, ibi humanitatem etiam colloces, necesse est. Non ferunt, ut diuidantur, & à se inuicem separantur. Deus & homo, una persona facta est. Nec Deus à se humanitatem sic seponit, quemadmodum homo quispiam, cum

L dormitum

## D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA

dormitum vadit, tunicam suam exuit, & aliò proiecit. Nā, vt hanc rem simplicioribus crassa similitudine exponam, humanitas proprius est vñita cum Deo, quām cutis nostra cum carne nostra, imo multò proprius, quām corpus & anima. Donec igitur homo viuit, & sanus est, cutis & caro, corpus & anima in tantum vna sunt res & persona, vt non queant separari. Sed vbi cuncte est anima, ibi etiam corpus sit, necesse est, & vbi est caro, ibi etiam necessariò est cutis. Nec potes ostendere peculiarem locum aut spaciū, in quo tantum sit anima absq; corpore, sicut nucleus absq; testa, aut vbi sit caro absq; cute, sicut pīsum absq; sua tunicula, sed vbi cuncte alterum est, ibi alterum quoq; sit, necesse est. Eodem modo, non potes Deitatem ab humanitate separare, & eam alicubi collocare, vbi non vna sit etiam humanitas. Sic enim diuideres personam, & faceres ex humanitate, quasi siliquam, imo quasi tunicam, quam Deus iuxta locorum aut spaciōrum qualitatem indueret & exueret, ideoq; corporale spaciū loci tantarum esset virium, vt diuisnam personam diuidere, quam tamen nec Angeli, nec omnes creaturæ diuidere potuerunt.

Eodem libro.

Vuit. folio 187.

fa. 1.

Ienēn. folio 500.

fa. 1.

I Tagi vnicum corpus Christi tribus modis aut varietatib; alicubi est. Primus est modus cōprehensibilis, corporalis seu localis, sicut in hac terra corporaliter ambulauit, quo iuxta suam magnitudinem occupauit spacia locorum, & circumscriptus est loco. Hoc modo licet ei adhuc vti, quando liber, sicut & eo usus est, postquam resurrexisse a mortuis, & vretur eo in extremo dñe, quemadmodum Paul. ait 1. Timoth. 6. Quam (apparitionem) temporibus suis ostensurus est ille beatus &c. Et Coloss. 3. Cum Christus apparuerit, vita nostra &c. Iuxta hunc modum Christus non est in Deo, vel apud patrem, ac ne quidem in cœlo,

lo, sicut fanaticus spiritus somniet. Deus enim non est corporale spaciū aut locus. Et hoc pertinent dicta illa, quæ fanatici recitant, quod Christus deserat mundum, & vadat ad patrem, &c. Secundus est incomprehensibilis spiritualis modus, quo Christus nec occupat spacia locorum, nec circumscribitur loco, sed pertransit pro sua voluntate omnes creatureas, quemadmodum visus meus, (ut crassa similitudine utar) in momento percurrit aerem, lucem, aut aquam, ibiçq; præsens est, nec tamen occupat locum, nec circumscribitur loco. Sic & clangor aut sonus percurrit aerem, aquam, tabulas aut parietem, & nec spaciū loci occupat, nec loco circumscribitur: Sic etiam lux & calor percurrunt aerem, aquam, vitrum, cristallum, & id genus alia, ibiçq; præsentia sunt, attamen nec spacia locorum occupant, nec locis circumscribuntur. Et multo plura his similia sunt. Hoc modo usus est Christus, cum ē sepulchro, quod lapide signatum & munitum erat, exiret, & cum per ianuas clausas ad discipulos intraret: similiter, in pane & vino cœnae Dominicæ: & sicuti pie creditur, cum ē virginē matre sua nasceretur &c. Tertius modus est diuinus & cœlestis, quo est cum Deo una persona. Iuxta hunc modum, non est dubium, quin multo magis omnes creatureas penetret, ac præsentes sibi habeat, quam iuxta secundum modum. Si enim iuxta secundum modum, in & cum creaturis ita esse potest, ut ipsum nec sentiant, nec attingant, nec metiantur, nec cōprehendant, multo certè magis & longè admirabilis est in omnibus creatureis, iuxta cœlestem illum tertium modum, ut ipsum nec metiantur, nec comprehendant, sed potius ut habeat ipsas corā in conspectu suo, ac præsens eas metiat & comprehendat. Necesse enim habes eam Christi essentiam, qua est cum Deo una persona, longissimè extra creatureas collocare, adeoç tam longè, quam Deus ipse

D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA.

extra eas est. Et econtra, tam altè & propè in omnibus creaturis collocare, quām Deus ipse in eis est, quia est vna & indivisa persona cum Deo, aut enim necesse habet ibi esse, vbi est Deus, aut fides nostra vana est. Quis autem est qui possit cogitare aut explicare, quomodo hoc fiat? Scimus quidem, quòd Christus sit in Deo extra omnes creature, & vna cum Deo persona, sed quomodo hoc fiat, nescimus. Hoc mysterium superat naturam & rationem omnium etiam Angelorum in cælo, soli autem Deo cognitū & perspectum. Cum igitur hoc sit nobis incognitum, & tamen verissimum, non prius negandum est verbum eius, quām possimus certò probare, quòd corpus Christi nullo modo queat ibi esse, vbi Deus est, & quod modus ille præsentiae, de quo diximus, falsus sit. Nam hoc fanatici omnino probare debent. Sed non facient, non (inquam) facient.

Eodem libro.

Vuit. fol. 189.  
fa. 2.  
Ienen. fol. 502.  
fa. 2.

**S**ecundo, postquām Christus est Deus & homo, & humanitas eius vna est cum Deo persona, ideoq; sic omnino totus in Deum super omnes creature assumptus & exaltatus, ut ipsi sit quasi adglutinatus, respondere deberet fanaticus spiritus, quomodo fieri posset, quòd Deus alicubi sit. vbi non sit homo, & quomodo possibile sit, vt Deus absq; personæ diuisione in hoc loco sit sine humanitate, in alio autem loco cum humanitate: cum tamen nō duos Deos, sed vnum tantum Deum agnoscamus, & is totus omnino sit homo, iuxta alteram quidem in diuinitate personam, videlicet filij. Quid enim profuerit, quòd alias multa blateret, & vbi necessarium esset respondere, aliò transiliat & taceat? Si Deus & homo vna est persona, & duæ naturæ inter se ita vnitæ, vt proprius sibi ipsis coniuncte sint, quām corpus & anima, certe necesse est, vt Christus ibi sit homo, vbi Deus est. Si est in uno loco Deus & homo, quam ob causam

causam non esset etiam in altero loco Deus & homo? Si in altero, cur non etiam in tertio, quarto, quinto, adeoque in omnibus locis? Si uero tertius, quartus & quintus locus non permittunt, ut sit simul Deus & homo, certe ne primus quidem, & unus locus non permittit, ut sit Deus & homo. Nam si vel locus, vel spatum loci potest personam diuidere, certe id non minus faciet primus locus, quam omnia alia loca. Hic fuisset respondendum, & hoc uirgебам, cum ostenderem, quod Deus & homo una esset persona, & Christus per hoc assecutus esset supernaturalem essentiam, aut modum, ut esset in omnibus locis.

## Eodem libro.

**R**ecitabo autem crassam similitudinem. Ecce tibi, Sol uult. folio 206.  
spargit lucem suam in magnam quandam piscinam, fa. 2.  
aut lacum. Ibi cum non sit nisi unus Sol, necesse est, ut na- ienen. folio 521.  
turaliter non sit nisi una imago Solis in aqua. Quomodo fa. 1,  
ergo fit, quod cum centum, aut multo plures starent circa  
piscinam, unusquisque tamen haberet praesē, in suo loco ima-  
ginem Solis, nec quisquam eorum, in alterius loco? Quod  
si circum circa obambularet, certe imago comitatur eum,  
& est in omnibus locis piscinæ, quocunque ierit. Ac si mille  
oculi prospicerent in piscinam, unusquisque oculis videret  
præ se imaginem Solis, & non præ alio. En tibi creaturam,  
que potest aliquo modo in omnibus locis piscinæ esse. Quis  
ergo negabit, quod non multò magis Deus ipse creator  
sciat modum quandam, & possit efficere, ut unum illud  
corpus Christi sit eo modo, pro suo arbitrio, in omnibus  
locis, aut ubi cunque voluerit. Hic, hic inquam, necessarium  
est respondere & probare, quod omnipotentia Dei hoc ef-  
ficere non queat. Si hoc non fuerit comprobatum, horribilis  
est temeritas, quod affirment hæc duo inter se pugnare,  
re, corpus Christi est in celo, & in coena, quandoquidem

• D. MARTINI LUTHERI TESTIMONIA;  
non possint hoc pro certo habere, & tamen verba Delcessa  
ta sint, Hoc est corpus meum, &c.

Eodem libro.

Vñat. folio 207.  
fa. 2.  
Ienæ. fol. 512.  
fa. 2.

C Vm allegarem apparitionem Christi, quæ facta est dico Stephano Act. 7 & alijs sanctis, & vocem Dei patris, quæ è nube sonuit Math. 17. (quæ exempla commemorabam, ut probarem, quod Christus non necesse habebat in uno peculiari loco, in cœlo esse) ibitum egregie probat suam sapientiam, ac dicit. Quid hoccine probat, quod unum corpus sit in duobus locis? Quomodo, quæso, talia verba conueniunt viro docto? Ego certo agnosco culpam meā. Talia enim exempla ne illud quidem probant, quod lupus libenter deuoret oves, aut si quid huic simile afferri possit. Scias igitur, me talia exempla eò recitasse, quod Christus propè sit, & non sedeat in cœlo localiter.

Eodem libro.

Vñat. fol. 208.  
fa. 1.  
Ienæ. folio.

P Ræterea, Oecolampadius quoq; in hoc loco ultra se pta, quod aiunt, transilit, quod contra suam ipsius, ac vniuersæ scripturæ sententiam, collocet Christum, secundum Deitatem in cœlo, secundum corpus autem tantum in terra. Nō recte considerant mea fundamenta, nec intelligunt sua ipsorum uerba. Si Christus una est persona in sua Deitate & humanitate necesse habet humanitas, simul in terra & in cœlo esse, quemadmodum suprà, aduersus Cingulum probauit. Esse enim una in Deo, & cum Deo persona, multò plus est, quam esse in cœlo. Similiter nec illud verum est, quod Christus fuerit tunc in cœlo tantum, secundum Deitatem. Vbi, quælo, erat secundum Deitatem, cum in utero matris homo fieret? An non erat etiam secundum Deitatem personaliter & substantialiter in utero matris, & super terram.

In breui confessione Martini Lutheri  
de sacramento cœnæ.

**A**lterum dictum (Christus ascendit in cœlum) extors vuit. To. 2. Ger.  
quebam ab eis, firmissimis argumentis. Feri enim fol. 258. fa. 2.  
non potuit, vt proper illud dictum (ascendit in cœlum) ienen. Tom. 8.  
serio permoti fuerint ad negandam præsentiam corporis fol. 196. fa. 1.  
& sanguinis Christi in cœna, de quo tamen in multis libris,  
ac multis etiam contumacibus verbis tumultuabantur.  
Probabam autem eos certo esse vanos & mendaces, idq;  
illo fundamento. Christus instituit cœnam suam, & dedit  
discipulis corpus & sanguinem suum, sicut verba ipsa fo-  
nant, Edite, hoc meum est corpus, priusquam ascendit in  
cœlum. Hic enim sedet in mensa super terram, & celebrat  
primam suam cœnam. Non potest igitur verum esse, quod  
iactant, videlicet, quod ex dictis de Ascensu Christi per-  
moti fuerint. Huic enim repugnat, quod Christus celebrat  
cœnam suam, priusquam ascendit in cœlum. Si ergo as-  
census eius in cœlum non impedit primam cœnam, quo-  
modo verum, ac minimè vanum esse potest, quod dicunt,  
ascensum Christi in cœlum, permouisse ipsos, & obstaculo  
ipsis fuisse, quod minus crederent veram præsentiam cor-  
poris & sanguinis Christi in cœna & quandoquidem iam  
mille quingentis annis nullam aliam cœnam, quam eam,  
quæ est initio à Christo ipso instituta, & commendata, ce-  
lebrauerimus, sicut ipse dixit. Hoc facite in mei commis-  
sionem. Ad hæc, nec norunt, nec intelligunt,  
quid sit ascendere in cœlum. Quomodo igitur  
sieri potuit, vt ex hoc dicto permo-  
uerentur? Hæc Lutherus.

A3968-0

IOANNES BRENTIUS.

Hactenus commemorauit sententiam Lutheri de hypothesis postatica seu personali vniione duarum naturarum in Christo, de ascensu Christi in coelum, & de sessione eius ad dextram Dei patris sit. Ex quibus fundamentis definitio totius controversiae (quantum ego quidem iudicare possum) de vera, reali, seu substantiali praesentia corporis & sanguinis Christi in cena, praecipue pendet. Potuisse quidem plura & copiosiora ex libris eius recitare, sed quia hi libri publice extant, volui tantum, quasi d'igito praeципua loca demonstrare, & lectorem admonere, ut se ad ea referat, & diligenter expendat, non tam quis ea dicat, quam quae dicantur, & quibus Scripturæ testimonij atque argumentis explicitur & confirmetur. Gratitudinis genus est, Scripta eius viri, quem Deus ad preferendam nobis facem cognoscendi Christi & Antichristi excitauit, non sic temere, quasi unius ex vulgo, & in Ecclesia ignoti abscondere. Nec haec sententia, quam de praesentia corporis Christi & sanguinis eius in cena habuit, nata est ei ingitanter in ore, sed ut semper constanter eam asseruit, ita ad propugnandam eam multa & magna sustinuit certamina. Ac priusquam excessit ex hac vita, quasi futurum vaticinans, ut hoc bellum in Ecclesia iterum recrudesceret, ita explicuit, ita muniuit, ut universus Christianus orbis haud obscurè cognosceret, ipsum in ea & acquieuisse, & spiritum suum DOMINO commendasse.

TELO.